


12198. v. Ee.









**PHILOTHEA,**  
SEU  
**INTRODUCTIO**  
AD  
VITAM DEVOTAM  
AUTHORE  
**S. FRANCISCO**  
DE SALES,  
EPISCOPO GENEVENSI,  
IN  
STRENAM OBLATA  
**DD. SODALIBUS**  
SUB TITULO  
**B. MARIÆ V.**  
IN  
COELOS ASSUMPTÆ,  
IN  
COLLEGIO LABACENSI  
SOCIETATIS JESU  
CONGREGATIS.



---

VIENNÆ AUSTRIÆ,  
EX TYPOGRAPHIA KALIWODIANA.  
ANNO M. DCC. LVI.

THE  
UNIVERSITY  
OF  
THE STATE OF  
NEW YORK  
LIBRARY  
ALBANY

030057319



EPISTOLA,  
QUAM  
SANCTISSIMUS DOMINUS  
ALEXANDER VII.  
PONTIFEX MAXIMUS,

*Perdilecto suo Nepoti*

ANTONIO BICHO,

S. Anastasiæ quondam ABBATI, nunc  
Episcopo Osimensi, transcripsit, pro  
commendatione præsentis  
libri.

**A**Gre a me divelli te passus, dilectissime Nepos, ut bene ordiar litterarum inter nos mutuam scriptionem, quibus verbis abeuntem nuper allocutus sum, iisdem modo absentem compellabo. Habeas, rogo te, semper & ubique in amoribus ac deliciis FRANCISCUM DE SALES, ejus esto assiduus Lector, obsequens filius, sedulus imitator, Philotheam, seu manuductionem ad vitam pie instituendam, cui a viginti annis post DEUM debeo imprimis, si quid in me sit, quod culpa vacet, quanquam decies lectam centies legam, & semper plus mihi dicere videbitur, quam dixerit. Philotheam, inquam, constituas tibi velim quasi normam aut amussim, ad quam vitæ tuæ rationes singulas exigas diligenter, atque conformes. Non austerum, non solitarium, non exoticum vitæ genus suadet, sed civile, sed nobile, sed temperatum, hoc est, parabilem cuique vivendi modum, qui tamen solidam attingat perfectionem, atque sanctitatem.

*Virtus si cujus coloribus representari posset, aiebat quispiam, futurum, ut omnes in sui amorem potenter alliceret attraheretque. Id, meo quidem iudicio, est assecutus SALESIIUS: usque adeo ejus pulchritudinem Majestatem, decorem, venustatem suaviter, & ad vivum exprimit, atque ob oculos ponit. Et quod aequae laudem ac venerationem ipsi, nobis vero legentibus affectum conciliat, ac propensionem, Salvatorem prototypum secutus, cepit ipse primum facere, postea docere, ut ejus vitam legere videantur, qui ejus consilia rimantur, faciliusque ejus praeceptum sequantur ii, quibus se antea posuit in exemplum. Nobili ac locuplete natus e familia nobilium ritu in pietate, ac literis eruditus, in Principum Regumque Aulis, in domibus privatorum, in cœtibus amicorum, in negotiis, in pietatis exercitamentis, omnibusque in laboribus, qui Episcopum decent, ita honeste sancteque videmus eum nostro aëvo resplenduisse, ut socordiam nostram erubescere cogamur, ac merito damnatam censeamus, quicumque consuetudines hominum, negotia, aut nobilitatis conditionem causamur, quo minus vitam in pietate ac sanctitate transigere valeamus. Quod dixi de Philothea, de aureo Libro Divini amoris, ac de omnibus ac singulis tanti Viri monumentis dictum velim, quæ dum diurna nocturnaue manu revolveo, omittere nequeo, quin dicta ejus præcipua, ac quasi principia ejus doctrine, decerpam, ac seponam, quæ mecum postea otiosus subinde ruminem, ac rursus deglutiam, ut in succum ac sanguinem transferam, quantum possim. Ita sentio, ita suadeo tibi, Nepos optime, si enim inspectorem hunc individuum comitem, & quod Seneca etiam suadebat, Censorem ac Magistrum tibi constituas, ac semper præsentem habeas, ad cujus nutum te geras, nec me hujus mei consilii, nec te operæ in id impensæ unquam pœnitebit. Finiam cum Horatio: Vive, vale, si quid novisti rectius istis, candidus imperti, si non, his utere mecum. Colonia, die prima Aprilis,*



# PROLOQUIUM AUCTORIS.

*Hanc, obsecro, benigne Lector, Præ-  
fationem legas, ut tum tibi, tum mihi  
aliquatenus satisfiat.*



**F**Lorilega, & fertifica Glycera  
adeo scite florum, e quibus  
ferta sua conficiebat, situm &  
mixturem distinguere, ac va-  
riare norat, ut iisdem e floribus diversissima  
fectorum genera concinnaret, adeo ut cum  
Pausias pictor suo hanc texturæ varietatem,  
& genera fectorum ad contentionem expri-  
mere gestiret penicillo, eatenus omni arte  
sua pertingere nequiverit: neque enim in  
tot picturas suas genera & modos distingue-



re poterat, quot Glyceræ fertorum genera  
iisdem e floribus contexebat. Ad eundem  
modum Spiritus Sancti tanta cum varietate  
devotionis documenta ac præcepta, quæ fa-  
mulorum suorum & linguis, & calamis de-  
promit, semper disponit, ac digerit, ut cum  
semper una & eadem sit doctrina, qui tamen  
circa eam sunt discursus, multum discrepent,  
idque pro diversitate dispositionis ac modo-  
rum, juxta quos compositi sunt. Certe  
non possum, non volo, non debeo in hac  
**INTRODUCTIONE** quidquam adferre,  
nisi quod a majoribus, & iis, qui ante nos  
fuere, eadem in materia est pertractatum.  
Iidem sunt flores, amice Lector, quos tibi  
offero, sed fertum ac fasciculus, quem ex  
iis concinnavi, ab illorum fasciculo discre-  
pabit, ob diversum, quo compositus & di-  
stinctus est, modum.

Quotquot de devotione scripserunt, omnes  
pene sunt circa instructionem eorum, qui a  
mundi commercio prorsus erant sequestrati,  
versati, aut saltem eam devotionis formam  
tradiderant, quæ ad totalem hanc solitudi-  
nem viam sterneret. Meum vero proposi-  
tum & scopus est, instruere, & edocere eos,  
qui



qui mediis in urbibus, familiis, & in aula  
conversantur, quique ob vitæ suæ statum &  
conditionem, commune quoddam vitæ ge-  
nus, quoad exteriora, vivere tenentur: qui  
sæpe sub falso cujusdam impossibilitatis præ-  
textu ne quidem de vita devota ineunda, &  
capeffenda, cogitare volunt: atque ut nul-  
lum animal herbæ, cui palma Christi nomen  
est, semina aut baccas gustare audet; ita  
nullum hominem, quamdiu in mediis rerum  
& negotiorum temporalium turbis agit, ad  
pietatis Christianæ palmam aspirare debere  
existimant. Ego vero ipsis declaro, sicuti  
margaritiferae conchæ ita in mari vivunt, ut  
tamen nullam aquæ marinæ guttam admit-  
tant: & sicuti in Insulis Calidonis fontes sunt  
dulcium aquarum etiam in medio mari; &  
sicuti Pyramidæ ita inter ignes & flammæ  
volitant, ut tamen alas non adurant; pari-  
modo vigorosum & constantem hoc in mun-  
do taliter vivere posse, ut nullum ex eo hu-  
morem mundanum admittat, dulcis cujus-  
dam pietatis fontes inter amaras sæculi hujus  
undas reperiat, & ita inter terrestrium ap-  
petituum flammæ volet, ut sanctorum desi-  
deriorum, quibus ad vitam devotam aspirat,  
alas non adurat.

teor : ideo vellem , plurimi omni huc cura  
incumberent , & quidem majore contentione  
& ardore , quam haectenus fecere . Unde  
iis , qui generose & viriliter hoc aggredien-  
tur , ego utcumque debilis & parum ad hoc  
idoneus hac scriptione mea aliquod adferre  
subsidium conor . Verum enim vero non  
eo animo , aut intentione hanc INTRO-  
DUCTIONEM scripsi , ut in lucem ede-  
retur , aut juris communis fieret : etenim  
cum anima quaedam , & honore & virtute  
vere conspicua , jam abhinc aliquo tempore  
gratiam a DEO , & desiderium accepisset ad  
vitam devotam aspirandi , ac meam singula-  
tim hac in re opem & auxilium efflagitasset ;  
ego , qui pluribus ei eram nominibus ob-  
strictus , & jamdudum magnam ad hoc in-  
tentum in ea dispositionem observaram , sol-  
licite admodum eam instruxi , nihil , quod  
huc aliquo modo faceret , omittens : cum-  
que eam per quaecunque desiderio & statui  
ipsius convenirent , exercitia deduxissem , ea-  
dem & scripto commissa reliqui , ut , quo-  
ties necesse foret , ad illa recurreret etiam  
me absente . Ipsa vero exinde illa commu-  
nicavit , & inspicienda dedit celebri , docto  
aëque ac pio Viro ( *Rev. scilicet Patri Joanni*  
*Fer-*

*Ferrerio, Theol. Societatis JESU, tum Collegii Camberiensis Rectori*) qui plurimos hinc juvari, & fructum capere posse ratus, vehementer me est ad hæc ipsa prelo committenda adhortatus. In quo mihi persuadendo non magnam illum oportuit contentionem adhibere, quod illius amicitia in voluntatem meam plurimum juris haberet, & magnam judicium illius in me auctoritatem.

Porro, ut omnia & majorem fructum facerent, & legentibus gratiora acciderent, eadem relegi, & aliquam connexionem & ordinem iis addidi, simul etiam multa documenta & monita, quæ proposito meo quadrare videbantur, adjunxi, ita tamen omnia ea feci, ut vix ullum ad ea facienda otium suppeteret. Quamobrem nihil hic videbis, quod exactum, aut elaboratum sit, sed tantum quandam documentorum, & monitorum congeriem bona fide propositam, quæ claris & intelligibilibus verbis (saltem ita facere studui & volui) propono. De linguæ vero elegantia & ornatu sermonis ne cogitare quidem volui, utpote cui permulta alia curanda & agenda sunt.



Cæterum ad *Philotheam* sermonem & verba mea converto : etenim dum ad communem multarum utilitatem tendere cupio id, quod ad unam duntaxat juvandam primum conscripseram, illam nomine, quod omnibus, quæ devotæ esse volunt, commune est (nam *Philothea* tantundem sonat, ac denotat, atque DEI amans, aut amatrix) visum est compellare.

Itaque quod in his omnibus animam spectem & edoceam, quæ per devotionis desiderium ad amorem DEI aspirat, hinc INTRODUCTIONEM hanc in quinque Partes sum dispartitus. In illarum prima per quædam monita & exercitia conor simplex nudumque *Philothææ* desiderium in perfectam & totalem resolutionem & propositum commutare, quod etiam ipsa tandem post generalem suam confessionem, per solidam vivacemque protestationem (quam deinde SS. Eucharistiæ susceptio sequitur) concipit, & emittit; in qua se DEO suo tradens, eumque vicissim recipiens, in sanctum ejus amorem feliciter ingreditur. Hoc jam factò, ut eam ulterius conducam, duos insignes ei ad in dies Divinæ ejus Majestati sese magis magis-



gisque uniendum modos declaro. Primo SS. Sacramentorum usum, per quæ bonus & benignus ille Dominus ad nos venit, dein sanctam orationem, qua ipse nos ad sese attrahit. Et circa duos hos tota secunda Pars versatur. In tertia vero Parte illam doceo, plurimas illi virtutes, & quidem, quæ ad ejus profectum quam maxime conducunt, & spectant, esse exercendas, attamen nonnisi particularia quædam consilia quoad hæc ei tra- do, ea, inquam, quæ nec aliunde, nec a se ipsa facile comparare potuisset. In quarta quasdam inimicorum ejus illi detego insidias & technas, modumque ei suggero, quo rite se ab iis expediât, & has non morata, in sancto suo proposito & opere ccepto ulterius progrediatur. Denique in quinta illam nonnihil a seipsa sevoco, quo se aliquantulum reficiat, spiritum resumat, vires reparat, ut postea facilius in vita devota progredi, & proficere queat.

Ætas & sæculum præsens admodum va- rium est & mirabile; & jam tum video fere plurimos, qui nonnisi Religiosorum & alio- rum devotionem professorum esse dicent, tam minutim & particulatim præcepta & exer-

exercitia, quibus ad pietatem homines in-  
formentur, tradere, plus enim illa otii &  
temporis requirere, quam suppetat Episco-  
po, cui tam onerosa & lata, ac est mea,  
Dicecesis curanda incumbit. Per hæc nam-  
que mentem & intellectum, qui magni mo-  
menti rebus impendi & applicari debet, plus  
nimio distrahi.

Ego vero, Lector charissime, tibi cum  
magno Dionysio Areopagita respondeo, pro-  
prie & ante omnia ad Episcopos spectare,  
animas ad perfectionem adducere conari, quod  
eorum Ordo & gradus inter homines & in  
terra supremus sit, sicuti ipse Seraphinorum  
Ordo inter choros Angelorum primas fert;  
adeo ut, quod illis suppetit tempus & otium,  
nulli rei melius, quam huic queant impen-  
dere. Veteres Episcopi, & Sancti Ecclesiæ  
Patres, saltem tam sedulo erga munus & of-  
ficium suum Episcopale afficiebantur, ac nos;  
interea tamen particulari quodam modo mul-  
tas, quæ ipsorum opem efflagitabant, ani-  
mas curare minime negligebant, uti ex ipso-  
rum Epistolis videre est, idque ad imitatio-  
nem & exemplum Apostolorum, qui esto  
universum orbem terrarum in horreum Do-  
mi-

minicum inferre fatagerent, nihilominus spicas quasdam excellentiores speciali & particulari quodam studio colligebant. Quis nescit Timotheum, Titum, Philemonem, Theclam, Appiam, charissimos magni Apostoli Pauli filios & filias fuisse; uti S. Marcum & Petronillam S. Petri? S. Petronillam, inquam, quæ, ut diserte & peregregie C. Baronius & Galonius ostendunt, non carnalis, at solum spiritualis S. Petri filia fuit. Et, an non S. Joannes Epistolarum suarum Canonicarum unam piæ Matronæ Dominæ Electæ mittit, ac scribit?

Difficile & laboriosum est, fateor, animas in particulari conducere: at labor, qui simul recreat, & consolatur: unde labori messorum & vindemiatorum persimilis est, nunquam magis gaudentium, quam dum ab opere obruuntur, & ex eo se vix possunt expedire. Labor est, qui hinc quidem defatigat, sed illinc dulcedine quadam cor recreat, ac restaurat, quæ in ipsum suscipientes derivatur, uti cinnamomum sui per felicem Arabiam gestatores vigorat, & vegetat. Ferunt tigridem, cum e raptis catulis unum, quem ei venator in via, ad illam remorandam, objicit,



cit, interea dum is reliquos secum asportat, reperit, eum, quantumvis gravis sit & ponderosus, in humeros rejectum ad incunabula referre, nec hoc illam onus ullatenus gravare, amor quippe ejus naturalis onus hoc in ea alleviat. Quanto ergo potius ac libentius animus & affectus paternus animam, quam ad sanctam perfectionem aspirare velle competit, curabit, & velut in sinu suo, uti mater infantem, gestabit, & ita quidem ut e caro & amico hoc onere nullam difficultatem & gravitatem sentiat? sed animus & affectus paternus is haud dubie fit oportet: unde Apostoli, & viri Apostolici discipulos suos, non filiorum solum, sed & teneriori etiam infantum nomine compellant. Cæterum, mi Lector, de vita scribo devota, non devotus, ut verum fatear, attamen non plane expers desiderii ad devotionem perveniendi, & hæc sola affectio animum mihi addit, & excitat ad te efformandum & instruendum. Nam & Vir quidam cum primis literatus dicebat, bona addiscendi ratio est, studere: melior, docenti auscultare: optima vero docere. *Sæpe contingit*, ait S. Augustinus ad filiam suam spiritualem Florentinam scribens, *ut distribuendi & elargiendi officium in causa sit, ut*  
*quis*



*quis quid aliunde recipiat, & ipsum docendi ministerium, addiscendi sit fundamentum.*

Formosam Compatrem, adeoque sibi dilectam, ab Apelle solo depingi voluit Alexander: Apelles illam curiosius & diutius intruere coactus; quantum pulchritudinis illius lineamenta in tabula efformabat, & exprimebat, tantum cordi suo amorem illius imprimebat, & insculpebat, unde tandem adeo profunde hinc penetralibus illius infedit, ut Alexander, hoc cognito, & sortem ejus miseratus, illam ei in conjugem dederit, se illius causa dilectissima sua amasia sponte privans. In quo, teste Plinio, insignem animi sui generositatem, non minus quam in illustri aliqua victoria patefecit. Existimo autem, amice Lector, DEUM Opt. Max. velle, ut, quoniam Episcopus sum, non communes & vulgares solum virtutes, sed & dilectissimam & charissimam amicam suam devotionem in hominum cordibus depingam, atque exprimam. Quod ego munus quam libentissime in me suscipio, tum ut ei obediam, atque officii partes adimpleam, tum vero, quod in spem veniam, me interim, dum aliorum animis illam insculpo, sancto ejus amore forfitan

fitan accendendum, & inflammandum. Si ergo Divina ejus Majestas illius amore me magnopere æstuantem, & affectum videat, æterno mihi eam connubio copulabit. Formosa & casta Rebecca, dum Isaaci camelos adquat, jam ab eo tempore in futuram illius conjugem fuit destinata, & inaures & armillas aureas illius nomine accepit. Pari modo ego de immensa DEI mei bonitate confido, fore, ut, dum caras illius oves ad salutares devotionis aquas conduco, animam meam simul suam sit facturus sponsam, & aurea sancti sui amoris verba auribus meis instillaturus, & in brachiis meis quoddam, ad illa bene, & prout oportet, exercenda, robur sit positurus, in quo veræ devotionis essentia consistit, quod Majestatem ejus rogo, ut tum mihi, tum omnibus Ecclesiæ suæ, cui tum scripta mea, tum opera, verba, voluntates & cogitationes meas subjicere decrevi, filiis concedere dignetur. Vale, Nissa, ipso

D. Mariæ Magdalenæ Festo die,

Anno 1608.





# INTRODUCTIONIS PARS PRIMA,

*In qua monita quædam & exercitia  
proponuntur, ex quorum præscripto, animam  
jam inde a primo vitæ spiritualis ineundæ desiderio,  
ad usque perfectum illius amplectendæ propo-  
situm conduci oporteat.*

## CAPUT I.

*Vera devotio describitur.*



**A**D devotionem aspiras haud dubie  
Charissima Philothea! quod  
enim Christiana sis, nosti eam  
virtutem esse, quæ Divinæ Ma-  
jestati longe gratissima. Sed,  
quoniam parvi, qui in rei alicujus initio ad-  
mittuntur, errores postea in progressu ejus-  
dem infinitum excrescunt, & in fine prope-  
modum irreparabiles, & incorrigibiles sunt;  
hinc ante omnia noris oportet: quidnam sic



devotio. Nam, quoniam una tantum est vera devotio, & plures falsæ & vanæ; hinc, nisi noris, quænam sit vera, decipi & errare posses, & impertinenti, & superstitosæ alicui devotioni sectandæ temetipsam sine fructu impendere. Quascunque imagines & vultus depingeret pictor Arelius, ad similitudinem, atque effigiem mulierum, quas adamabat, efformabat; sic sibi quisque devotionem passione, & imaginatione sua depingit. Qui jejuniis addictus est, valde se devotum reputabit, si multum & frequenter jejundet, licet intus nateat odio & malevolentia; cumque non audeat linguam vino, ac nequidem aquæ præ sobrietate intingere, illam sanguini proximorum palam immergere, iis detrahendo & calumniando, non verebitur. Alius se devotum existimabit, qui plurimas quotidie preces, & orationes decurrat; esto, exinde lingua illius in verba morosa, querula, arrogantia, & injuria in domesticos, & vicinos suos tota sese effundat. Alius libenter admodum eleemosynas in egenos, & inopes e crumena educit, benignitatem tamen, & amorem corde suo elicere ac depromere nequit, quo inimicis ignoscat. Erit & alius, qui quidem inimicis suis haud difficulter injurias omnes dimittet, sed ut creditoribus suis satisfaciat, & cum iis rationes ineat, quam ægerrime in animum suum inducet; & nonnisi violenter ac  
 judi-



judice compellente. Omnes hi vulgo devoti habentur, revera tamen devoti non sunt. Milites Saulis Davidem in domo sua quærebant; at cum Michol statuas in lecto collocasset, eamque vestibus Davidis induisset, crediderunt illi Davidem ipsum ægrum in lecto decumbere. Sic permulti actionibus, & operibus quibusdam externis, ad sanctam devotionem spectantibus sese induunt & palliant, & credunt homines, illos vere devotos, & spirituales esse, cum revera, & a parte rei, non nisi simulacra quædam, & inania phantasmata devotionis sint.

Porro vera, vivaque devotio, Philothea! amorem DEI præsupponit, nec quid aliud est, quam verus quidam DEI amor: non tamen qualiscunque & talis qualis amor: nam in quantum amor Divinus animam nostram coonestat, & venustat, dicitur gratia, Divinæque ejus Majestatis acceptos nos reddit; in quantum vero vires ad benefaciendum nobis confert, vocatur charitas: verum cum jam ad eum perfectionis gradum pertingit, ut nos non solum bene facere, verum etiam solícite, diligenter, frequenter, prompteque operari faciat; tum demum devotionis appellatur nomine. Struthiones nunquam subvolant: & gallinæ non nisi admodum graviter, & demisse, & rarissime; sed aquilæ, columbæ, hirundines, & sæpe, & celeriter, & sublimè evolant.

lant. Pari modo, peccatores nunquam ad DEUM sursum evolant, sed omnis eorum libratio & studium in terra, circa terram, & propter terram suscipitur; probi vero homines, qui scilicet nondum ad devotionem pervenere, ad DEUM quidem per opera sua bona subvolant; attamen raro admodum, tarde & graviter: At qui vere devoti sunt, frequenter, expedite & sublime in DEUM evolant. Ut concludam ergo: Devotio aliud non est, quam quædam agilitas, & vivacitas spiritualis, cujus adminiculo charitas suas in nobis actiones (aut potius nos per illam) prompte affectuoseque exequitur, & operatur. Et sicut ad charitatem spectat, ut omnia DEI mandata in genere, & universaliter nos adimplere faciat, ita ad devotionem pertinet, nos ad eadem prompte seduloque adimplenda excitare, & inducere. Quamobrem, quisquis omnia DEI præcepta, non prout oportet, observat, nec bonus, nec devotus haberi potest: etenim ut bonus quis sit, charitatem habeat oportet; & vero devotis, præter charitatem, eximia quædam ad opera charitatis exequenda vivacitas, & promptitudo necessaria est.

Quoniam vero devotio in certo quodam eminentis charitatis gradu sita est; hinc ipsa, non solum promptos, expeditos, & diligentes in omnium DEI mandatorum observatio-

ne

ne nos reddit; verum etiam præter hoc, ad quam possumus plurima bona opera prompte magnoque cum affectu exequenda nos excitat; esto ea nullatenus de præcepto sint, sed tantum de consilio, aut divinitus nobis inspirata. Nam quemadmodum, qui recenter admodum e morbo quodam gravi convaluit, ingreditur quidem tantum, quantum necessitas ipsa exigit, sed lento & gravi passu: eodem modo peccator, qui jam nuperrime ex iniquitatis suæ morbo convaluit, incedit quidem quantum DEUS eum incedere jubet, usque dum perfectionem attingat; tunc namque adinstar optime valentis & vegeti, in Divinorum mandatorum via non modo incedit, sed & currit & saltitat; quin & ad ipsas consiliorum & inspirationum cœlestium semitas transit, in iisque alacer currit. Itaque charitas & devotio non plus inter se differunt, quam ignis & flamma, quod charitas, cum spiritualis quidam ignis sit, quando vehementer inflammata & accensa est, dicatur devotio; adeo, ut devotio ad charitatis ignem aliud non addat, præter flammam, quo charitatem & alacrem, & promptam, & diligentem non modo ad Divina mandata observanda, verum etiam ad consilia, & inspirationes cœlestes exercendas reddat.



## CAPUT II.

*Devotionis proprietas, & excellentia.*

**Q**ui Israëlitæ a terræ promissionis ingressu deterrebant, dicebant: terram illam hujusmodi esse, ut suos ipsa habitatores devoraret, id est, cœli ejus clima immite & infalubre esse, nemo ut sub eo diu posset vivere; atque ex altera parte incolas ejus adeo esse feros & barbaros, ut invicem, & locustas devorarent. Ad eundem modum mundus, charissima Philothea! sanctam devotionem pro viribus, & quantum potest, denigrat, sugillat, & traducit; dum eos, qui devoti sunt, vultu esse fingit terrico, lurido, tristi, ac nubo, ipsamque devotionem melancholicos quosdam, & intolerabiles humores causare comminiscitur. Sed, quemadmodum Josue, & Caleb tum temporis palam protestabantur, terram promissionis non modo bonam, & amœnam esse, sed & possessionem illius jucundam, & delectabilem fore: sic & S. Spiritus per os omnium Sanctorum, & ipse Redemptor suomet ore, nobis declarat vitam devotam & suavem, & felicem, & jucundam esse.

Videt quidem mundus, devotos jejunare, orare, injurias tolerare, morbidis & ægris ministrare, pauperibus stipem conferre, vigilare,



lare, iram suam compescere, passiones suppressimere, & suffocare, sensibilibus voluptatibus ultro abstinere, & has, aliasque id genus actiones obire, quæ natura & qualitate sua asperæ sunt, & rigorem includunt; at interiorem, & cordialem devotionem omnia hæc opera suavia, dulcia & facilia reddentem minime videt. Considera apiculas in thymo, & circa thymum volitantes: vide, ut ex eo succum quendam amarissimum exsugant, sed eum mox in mel, quod hæc earum natura sit, convertant. Multum quidem fateor, o Mundane! devotæ animæ suis in mortificationis exercitiis amaritudinis sentiunt, sed eadem obeundo, ipsam paulatim in dulcedinem, & suavitatem transire faciunt: sic olim ignes, flammæ, rotæ, & enses Martyribus flores, & fragrantissima aromata videbantur, quod devoti essent. Si ergo atrocissimis tormentis, quin & ipsimet morti adferre, & addere dulcedinem, eaque veluti condire devotio potest; quid in ipsis virtutis actionibus non faciet?

Immatturos fructus dulcorat saccharum, maturorum vero cruditatem, & malignitatem corrigit ac tollit. Devotio porro rerum spirituale saccharum est, utpote quæ, & a mortificationibus amaritatem, & a consolationibus damna aufert, a pauperibus tristem murmurationem, a divitibus arrogantiam, deso-

lationem & mœstitiam ab oppresso; infolentiam a fortunæ filio, tristitiam a solitariis, dissolutionem ab eo, qui inter homines conversatur: in hieme ignis vicem supplet, in æstate roris: novit & abundare, & penuriam pati: facit, ut æque prosit honor, ac contemptus: voluptatem simul ac dolorem pari prope semper vultu excipit, & mirabili nos suavitate & gaudio adimplet.

Considera, quæso, scalam Jacob, quæ veræ vitæ devotæ imago est: Duo ejus latera & longurii, inter quos ascenditur, & quibus gradus scalares annexi sunt, orationem, quæ amorem DEI impetrat, & Sacramenta, a quibus is dari solet, repræsentant; gradus porro aliud, mea sententia, non sunt, quam diversi charitatis gradus, per quos de virtute in virtutem proceditur, tam per actionem, ad proximo auxiliandum & opitulandum, descendendo, quam per contemplationem, ad amorosam DEI unionem, ascendendo. Vide jam, obsecro eos, qui in hac scala versantur: homines certe sunt, Angelica habentes corda, aut Angeli corpora habentes humana: non sunt quidem ætate juvenes, sed esse videntur, quod spirituali vigore, & agilitate pleni sunt; alas habent ad volandum, ac per sanctæ orationis libramentum ad DEUM sese elibrant: pedes porro habent, ad cum hominibus per sanctam & dulcem conversationem ambulandum:

dum : vultus eorum vividi & alacres sunt, quod omnia mira cum lenitate, & serenitate animi suscipiant, crura, brachia, & capita ipsorum nuda, omnium patent aspectibus, eo quod cogitationes, affectus, & opera ipsorum nullum alium habent scopum & intentionem, quam ut soli DEO placeant: reliqua vero corporis pars tecta & vestita est, sed veste pulchra & levi; quod mundo hoc rebusque mundanis utantur quidem, sed modo quodam prorsus puro & sincero, dum nonnisi obiter, & velut per transfennam utuntur eo, quo ratione status & conditionis prorsus carere nequeunt. Tales omnino sunt homines devoti. Devotio ergo, ( mihi credas, charissima Philothea! ) omnium dulcedinum est dulcissima, & virtutum universarum regina. Est namque ipsa charitatis perfectio: si enim charitas lac sit, devotio ejus est cremor: si illa planta sit, devotio ejus est flos; si illa gemma ac lapis pretiosus, devotio ejus est fulgor, & jubar; si illa balsamum & aroma, devotio ejus est fragrantia, & odor suavitatis, homines confortans, ac vegetans, Angelos autem latificans.



## CAPUT III.

*Devotio omnigenæ hominum vocationi, statui,  
& professioni convenit.*

**I**N ipsa rerum creatione plantis mandavit Creator DEUS, ut una quæque fructum ferret secundum genus suum: ita Christianis, qui vivæ Ecclesiæ suæ plantæ sunt, imperavit, ut quisque devotionis fructum pro qualitate, statu, & vocatione sua proferret. Diversimode, inquam, devotio est exercenda, a nobili videlicet, & a mechanico; a famulo, & a Principe; a vidua, & puella; innupta, ac conjugata. Imo ne hoc quidem satis est; sed & ipsa devotionis praxis viribus, negotiis & officiis cujusque in particulari est accommodanda. Dic mihi, obsecro, Philothea mea! consentaneumne foret, si Episcopus Carthusianorum instar solitudinem consecrari vellet? si conjugati non magis de peculio suo adaugendo solliciti essent, quam Capucini? si Religiosi in morem mechanicus totos dies in templo ageret; Religiosus vice versa, ad omnes casus & eventus, qui proximi necessitatem & utilitatem concernerent, Episcopi exemplo, semper esset expositus? an non devotio hæc ridicula, inordinata, & intolerabilis foret? Hic tamen error & absurditas sæpissime occurrit; & hinc mundus, qui devotio-

nem

nem veram ab eorum, qui se putant devotos esse, indiscretionem non discernit, aut saltem non vult discernere, devotionem carpit, & fugillat; quæ tamen harum inordinationum nequit esse causa.

Nequaquam: mea Philothea! Etenim devotio, siquidem ea vera & sincera est, nihil omnino destruit, sed cuncta perficit, & consummat; & si quando legitimæ alicujus vocationi ac statui contrariatur, & adversatur, haud dubie falsa est. Apis ita suum e floribus mel, teste Aristotele, colligit, ut eos minime lædat, aut destruat, tam eos integros, intaminatos, & recentes relinquens, atque eos reperit. Melius vero id præstat vera devotio: nam adeo nullum vocationis, aut negotiorum genus destruit, ut ea etiam exornet, ac condecoret. Nam, ut quælibet gemmæ melli impositæ, pro suo quæque colore, fulgentiores, & rutilantiores fiunt; sic in sua quisque vocatione acceptior fit, & perfectior, si devotioni illam jungat. Per hanc fit enim, ut familiæ cura longe reddatur quietior; mutuus inter maritum, & uxorem amor sincerior; obsequium Principi debitum fidelius; & omnes, quotquot sunt, occupationes suaviores & meliores.

Error proinde est, quin & hæresis devotionis exercitium a cohortibus militaribus, ab officina opificum, ab aulis Principum, a fami-

milia conjugatorum velle excludere. Fateor quidem, charissima Philothea! devotionem, quæ pure contemplativa, monastica, & Religiosa est, hisce in officiis, & statibus minime exerceri posse: at præter triplex hoc devotionis genus sunt & aliæ multæ ad eos, qui in statibus secularibus vivunt, perficiendos peraccommodæ. Testes rei hujus in veteri quidem Testamento sunt Abraham, Isaac, Jacob, David, Job, Tobias, Sara, Rebecca, Judith; in novo vero S. Josephus, Lydia, & S. Crispinus perfecte devoti suis in officinis fuere; SS. Anna, Martha, Monica, Aquila, & Priscilla in rei suæ familiaris & domesticæ cura; SS. Cornelius, Sebastianus, Mauritius inter arma & gladios; Constantinus, Helena, S. Ludovicus, B. Amadeus, S. Eduardus suis in solis regalibus; imo vero plurimi in media solitudine, quæ tamen perfectioni comparandæ adeo optabilis est, devotionis jacturam fecerunt; & vice versa permulti in ipso negotiorum strepitu, & medios inter homines, inter quos perfectio, si qua sit, destruenda, & minime provehenda videtur, eam conservarunt. Sic Loth, inquit S. Gregorius, qui impia in urbe adeo honeste vixerat, in solitudine tam fæde corruit, seque incestu polluit. Ubicunque locorum ergo sumus, ad vitam perfectam aspirare, & debemus, & possumus.



## CAPUT IV.

*Ad devotionem auspiciandam, & aliquem in ea  
progressum faciendum direttore, & conducto-  
re opus est.*

**T**OBIAS filius, jussus a parente in Rages proficisci, *Viam, inquit, per quam pergatur illuc, non cognosco. Cui pater: Perge, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum. Idem tibi dico, mea Philothea! serione vis ad devotionem tendere? quære tibi virum aliquem honestum & fidelem, qui te dirigat, & conducat. Hoc omnium monitorum, & consiliorum primum, ac præcipuum est: & quantumcunque (ajebat pius ille Doctor M. Avila.) DEI voluntatem exquisieris; nunquam tamen eam tam certo indubitateque reperies, ac per humilis hujus obedientiæ viam, quam omnes, quotquot olim fuere devoti, & servari ab aliis præcepere, & ipsimet etiam servarunt, & usurparunt. Beata Mater Theresia, viso Catharinam Cordubensem magnas, & intensas quasdam austeritates subire, in his eam, dissuadente licet Confessario, qui id fieri vetebat, imitari maximopere cupiebat, utque illi hac in parte morem minime gereret, tentabatur. Sed Dominus illi postea in visione ait: Bona & tu via incedis, filia! vides pœnitentiam, quam illa subit? ego vero*  
plu.

pluris tuam facio obedientiam. Unde etiam ita erga virtutem hanc ipsa afficiebatur, ut præter obedientiam, quam suis debebat Superioribus, aliam in particulari voveret viro cuidam perito, & prudenti præstandam, illius directionem, consilia, & monita in omnibus fecuturam se promittens; unde etiam magnam in se exinde consolationem sensit. Sic quoque post & ante illam, plurimi virtutum sectatores, quo melius DEO se subjicerent, suam fervorem ejus voluntati subjecere, quam S. Catharina Senensis praxin suis in Dialogis mirifice dilaudat, & commendat. Sic pia illa Regina Elisabetha, insigni cum obedientiæ exemplo, se in omnibus subjecit directioni, & arbitrio Doctoris M. Conradi. En tibi quoque unum e monitis, quæ magnus Rex Ludovicus ante mortem filio suo præscripsit: *Sapius peccata tua confitere. Confessarium tibi selige idoneum, qui probus sit & prudens; & qui, quæ facienda, & cavenda sunt, libere, certoque tibi possit proponere.*

*Amicus fidelis, inquit Sapiens, protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis; & qui metuunt Dominum, inventient illum.* Divina hæc verba immortalitatem præcipue respiciunt, uti vides, ad quam comparandam amicus hic fidelis, qui suis instructionibus, & consiliis actiones nostras dirigat, itaque a  
caco-

cacodæmonis insidiis, & versutiis nos protegat, ante omnia, maximeque nobis habendus est. Erit autem hic nobis velut thesaurus quidam sapientiæ in nostris afflictionibus, presuris, & lapsibus: medicamenti item loco ad animos nostros in ægri tudinibus, & morbis spiritualibus sublevandos & consolandos: tuebitur ille quoque nos a malo, bonum vero nostrum reddet melius; & si qua nobis infirmitas, & ægri tudo adveniet, efficiet, ne illa nobis ad mortem sit, nam remedium eidem adhibendo ipsam a nobis auferet. At quis amicum hunc inveniet? Resp. Sapiens: *Qui metuunt Dominum*, humiles, qui sui in spiritu profectus quam maxime cupidi sunt. Cum ergo tantum tua Philothea! referat, aliquem in sancta hac devotionis via ductorem & directorem habere., & sequi, DEUM quam ferventissime roga, aliquem tibi suppeditet, qui secundum cor tuum sit: & certa esto, aliquem tibi ab eo submittendum; nam esto, etiam Angelum de cælo submittere deberet, sicuti Tobix juniore submisit, bonum aliquem certe tibi, & fidelem ducem submitter.

Porro hic tibi semper instar Angeli sit oportet; id est, postquam eum inveneris, noli eum simpliciter, & nude ut hominem considerare; nec tam ipsi, ejusque scientiæ humanæ confide, quam DEO, qui tibi haud dubie aderit, & per hunc hominem, ut organum,

&



& instrumentum suum tibi loquetur, ea illius menti, & ori indens, quæ ad salutem, bonum, & incolumitatem tuam erunt necessaria; adeo ut ei, ceu Angelo de Cœlo delapso, ut te eodem deducat, auscultare debeas. Age ergo cum eo aperte, candide, & in omni sinceritate, & fidelitate, ei clare, & sine ulla duplicitate, & dissimulatione, quodcumque bonum, & malum tuum patefaciendo: hac quippe ratione bonum tuum explorabitur, & magis affecurabitur; malum vero tuum emendabitur & corrigetur: in afflictionibus quoque tuis allevaberis, & corroboraberis: in consolationibus autem moderata eris, & ordinata: summam in eo colloca fiduciam, quam tamen sacra quædam comitetur reverentia, adeo ut nec nimia reverentia imminuat fiduciam, nec fiducia impediatur reverentiam. Tali cum circumspeditione, & reverentia illi fide, cum quali filia fidit patri; & ea cum fiducia illum reverere, qua filius matrem. Denique amicitia hæc debet esse fortis & suavis, tota sancta, tota sacra, tota quoque Divina, & spiritualis.

Quamobrem inter mille tibi selige unum, ut ait M. Avila; ego vero dico: inter decem millia; pauciores enim, qui ad hoc munus idonei sint, reperire est, quam dici queat. Plenus porro is sit oportet charitate, scientia, & prudentia harum partium una, si ei defue-  
rit

erit, res periculo non vacat; sed iterum tibi dico, & repeto: Postula illum a DEO, & ubi jam eum obtinuisti, & invenisti, Divinæ ejus Majestati gratias age, constans esto, nec alios tibi quære, sed simpliciter & fiducialiter procede; sic enim iter tuum prosperabitur.

## CAPUT V.

*Ab animæ purgatione incipiendum est.*

**F**lores, inquit Sponsus, apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit. Quinam sunt animarum nostrarum flores, Philothea! nisi bona desideria? Quæ statim ac apparent, falcula in manus accipienda est, qua omnia opera mortua & superflua a conscientia nostra rescindantur. Puella alienigena Israelitæ nuptura olim, captivitatis suæ vestem exuere debebat, ungues rescindere, & cæsariem radere: Sic & anima, filii DEI sponsa esse desiderans, veterem hominem exuat, & novum, peccato relicto, induat, exinde omnigena impedimenta, & amore DEI ipsam avocantia rescindat, & abradat necesse est. Sanitatis nostræ principium est, a malignis & peccaminosis humoribus expurgari. Apostolus Paulus unico momento perfecta quadam purgatione expurgatus est; uti & S. Catharina Senensis, Maria Magdalena, S. Pelagia, & aliquot alii; at hocce purgationis genus om-

nino miraculosum est, & extraordinarium in ipsa gratia, sicuti mortuorum resurrectio in natura, adeo ut ad hujusmodi nos aspirare nefas sit. Purgatio vero, & sanatio ordinaria tam corporum, quam animarum non nisi paulatim & gradatim, ex uno profectu scilicet in alium ascendendo, idque cum labore aliquo & non per otium, peragitur.

Angeli in scala Jacobi visi alas quidem habent; attamen non volant, sed ordinatim, & gradatim ex uno gradu in alium ascendunt. Anima, quæ e statu peccati ad devotionem ascendit, amore stimulatur; hæc autem dum exoritur, unico momento noctis tenebras non dispellit, sed paulatim. Sanatio, (ut aphorismus Medicorum docet) quæ paulatim, lenteque fit, semper multo est certior: morbi enim animi, uti & corporis, veniunt (ut ita dicam) equites & cursitando, sed non nisi pedites, & lento gradu recedunt. Hac ergo in re animositate, constantia & patientia nostra opus est, mea Philothea! Ah! quam deploranda res est, quod animæ videntes se, postquam jam aliquantisper sese in devotione exercuere, adhuc permittis imperfectionibus obnoxias & subjectas esse, inquietari, turbari, & omnino dejici incipiant, parum ut absit, quin cœpta omnia simul deserant, & retro respiciant? Et vice versa, an non extremo in periculo illæ versantur animæ, quæ in  
oppo-



oppositam partem tendentes, jam tum primo, quo purgari incipiunt die, ab omnibus suis purgatas se arbitrantur; pene ante plane perfectas se esse ratae, quam perficiantur, & volare gestientes antequam habeant alas? quam hæ in præfenti, Philothea! recidivæ ac relapsus periculo versantur, quod sese nimis cito medici manibus subdlexerint? Ne surgatis, suadet Propheta, *ante lucem, sed surgite, postquam sederitis.* Quare & ipse hanc doctrinam practicavit; & jam lotus & emundatus, *amplius*, & rursus *lavari* expetit.

Purgationis animæ exercitium non nisi una cum vita nostra finire potest, ac debet. Non est ergo, quod ob imperfectiones nostras turbemur; perfectio quippe nostra consistit in eo, ut ipsas oppugnemus: oppugnare autem eas non possemus, nisi videremus; nec exsuperare, nisi ante oculos haberemus. Victoria nostra in eo sita non est, ut ipsas non sentiamus; at in eo, ut iis non consentiamus.

Porro iis consentire non est, ab iis subinde impeti & vulnerari: nam ad humilitatem exercendam, convenit nos interdum in spirituali hoc conflictu vulnerari, ac succumbere; at non ante sumus victi, quam aut vitam, aut animum amiserimus. Cæterum: imperfectiones, & peccata venialia spiritualem nobis vitam eripere non possunt: etenim hæc non nisi mortali peccato deperditur; hoc er-

go solum curandum ac videndum, ne animum illa nos despondere faciant.

*Libera me Domine!* ajebat Psaltes, a pusillanimitate, & meticulositate. Felices sane in hoc vitiorum conflictu sumus, dum semper victoriam referimus, dummodo certare, & configere velimus.

## CAPUT VI.

*De primo purgationis genere, quæ est a peccatis mortalibus.*

**P**Rima, quæ facienda est purgatio, est a peccatis; ea autem fit per sanctum Sacramentum pœnitentiæ. Proinde Confessarium tibi delige, quam potes dignissimum: deinde accipe unum e libellis illis, quæ ad conscientias, quo rite confessio instituat, adjuvandas compositi sunt, uti sunt Ludov. Granatensis, Vinc. Brunus, Fran. Arias, & Edm. Augerius; hos sedulo pervolve, & per peccata, & singula puncta discurre examinando, in quibus deliqueris & offenderis; scilicet jam inde ab eo tempore, quo primum ratione uti cœpisti, usque in præsens, omne vitæ tuæ curriculum percurrente. Et si memoriæ tuæ diffidas, quasi omnia retinere nequeas, scripto committe, in quibus te offendisse DEUM deprehendes. Ubi ergo peccaminosos, & malignos conscientia tuæ humores jam hoc modo præ-

præparasti, & in unum collegisti, eosdem serio detestare, & per, quam ferre cor tuum potest, maximam contritionem, & displicentiam a te ejicere conare, quatuor illa peccati mala considerando, quod videlicet per ipsum DEI gratiam amiseris, quantum est a parte tua, Coelum deserueris, æternos inferni cruciatus in te accersieris, æterno DEI amori renuntiaris. Vides, credo, Philothea! me de generali totius vitæ confessione loqui; quæ ( ut verum fatear ) non semper absolute hic necessaria est; tamen interim norim, illam hocce in principio summe tibi utilem fore: unde eam tibi quam maxime consulo. Sæpe namque contingit, ordinarias eorum, qui vitam communem, & vulgarem agunt, confessiones magnorum plenas esse defectuum: etenim sæpe fit, ut homo se ad eam minime disponat, aut certe admodum parum, vel requisitam, debitamque contritionem non habeat: imo vero, non raro ad confessionem accedit cum tacita denuo ad peccatum redeundi, ( eo quod peccati occasionem evitare, ac vitæ emendandæ necessaria media usurpare detrectet ) voluntate. Porro in omnibus his casibus generalis confessio necessaria est, ac requiritur, quo anima tranquilletur, & in tuto collocetur. Adhæc ipsa generalis confessio nos ipsos nobis patefacit, & quales sumus ostendit: ad salutarem de vita præterita con-



fusionem, & erubescenciam provocat: misericordiam DEI admirari nos facit, utpote qui tam patienter nos exspectavit: insuper corda nostra tranquillat: spiritum serenat: bona in nobis proposita excitat: Patri quoque nostro spirituali occasionem dat ad convenientia conditioni nostræ monita, & consilia nobis suggerenda: animum denique nobis addit, ut in post fecuturis confessionibus fiducialiter ei nos ipsos declaremus, & patefaciamus.

Ergo de generali quadam cordis nostri renovatione, pro universali animæ nostræ ad DEUM omnipotentem conversione, idque per aggressionem & susceptionem vitæ devotæ, loquendo, merito tibi, o Philothea! hanc confessionem generalem consulere posse videor.

## CAPUT VII.

*De secunda purgatione, ab affectibus scilicet, & inclinationibus erga peccatum.*

**O**Mnes quidem Israëlitæ re ipsa, & defacto Ægypto egressi sunt; sed non omnes affectu & voluntate: hinc cum in deserto agerent, plurimi ipsorum murmurabant, & dolebant, quod allia, & ollas carniū Ægypti non haberent. Sic & plurimi sunt pœnitentes, qui defacto quidem peccatis egrediuntur, affectum tamen erga eadem non exuunt: id est, proponunt quidem posthac non ampli-

us peccare; attamen quandam intra se amaritudinem, & dolorem sentiunt, quod detestabilibus illis quas peccatum involvit, delectationibus, & voluptatibus carere, & abstinere debeant. Animus quidem eorum peccato renuntiat, ab eoque se subducit; interim tamen versus eam partem velut redeundo, sæpe prospectat, & affectu vergit, quemadmodum Lothi uxor Sodomam versus despectabat. Sic quippe abstinent peccato, sicuti ægroti melonibus, qui his ideo abstinent, quod medicus ipsis mortem, si comedant, comminetur; ipsi interim, quod abstinere debeant, inquieti sunt, de eo loquuntur, inquirunt, num aliquo iis modo vesci liceat, ipsos saltem olfacere volunt, & beatos reputant eos, quibus eos comedere licet. Ad eundem modum hi debiles, & languidi pœnitentes ad tempus quidem peccato abstinent; sed inviti, & reluctanter; hinc vellent sibi liceret peccare, modo possent damnationem evadere, quin & aliquo cum gustu, & sensu de peccato loquuntur, eosque læte agere existimant, & beatos reputant, qui ipsum admittunt. Qui vindictam de inimico suo capere statuit, confessionem instituens, voluntatem quidem suam mutabit; paulo post tamen inter amicos suos agenti volupe ei erit de sua contentione apud eos loqui, dicetque, ni DEUM timuisset, hæc & illa sese facturum fuisse, ac legem di-

vinam quoad hoc offensas, & injurias condonandi punctum difficilem, & arduam esse, & optare se, fas ut cuivis esset de injuriarum inferentibus ultionem capere. Quis non videt, miserum hunc, etiamsi extra peccatum sit, erga ipsum tamen plane propensum esse, & affectu ferri; & licet re ipsa extra Ægyptum sit, appetitu tamen, affectu & voluntate adhuc in ipsa hærere, ad allia, & cepas, quæ ibidem comedere solebat, identidem suspirando; perinde ac mulier illa facit, quæ licet illicitos jam amores sit pertæsa, gaudet nihilominus ab amasiis amari, ambiri, & circumcingi? Hem! quam qui hujusmodi sunt, in gravissimo periculo versantur.

Quod vero, Philothea! ad vitam devotam aspire, eamque consecrari gestias; non solum tibi ipsum peccatum deferendum, sed & animus ab omnibus a peccato dependentibus affectibus prorsus expurgandus est. Nam præterquam, quod periculum esset, ne in illud aliquando relabereris, infelices hi affectus jugiter spiritum tuum elanguidum redderent, itaque gravarent, & opprimerent, ut bona opera prompte, diligenter, & frequenter exequi non posset, in quo tamen vera devotionis essentia, & substantia consistit. Porro: Animæ, quæ quidem e statu peccati egressæ, hos tamen affectus, & languidas erga ipsum propensiones habent, persimiles sunt, meo qui-



quidem iudicio, puellis pallidum vultum habentibus, quæ quidem in se ægrotae non sunt; at omnes earum actiones sunt morbidæ: etenim comedunt sine sapore, dormiunt sine requie, rident sine animi hilaritate, & proserpunt potius, quam incedunt: sic hæ animæ bonum, quod faciunt, eo cum spiritus languore, & animi lassitudine peragunt, ut a bonis suis exercitiis (quæ & numero pauca, & affectu exigua sunt) omnem gratiam auferant.

## CAPUT VIII.

*Qua ratione secunda hæc purgatio institui queat.*

**P**Rima, & præcipua, ad secundam purgationem perveniendi ratio, est viva, & vehemens apprehensio mali illius, quod peccatum nobis adfert; per hanc enim apprehensionem ad profundam & insignem quandam contritionem pertingimus. Nam sicuti contritio ( dummodo vera sit ) quantumlibet parva, accedente præsertim Sacramentorum virtute, sufficienter nos ab omni peccato expurgat; ita dum eadem intensa & vehemens est, ab omnibus, qui peccatum sequuntur, affectibus nos emundat. Exiguum alicujus odium, & rancor facit, ut animo quidem aversiore simus ab eo, quem odimus, nosque illius commercium subterfugere compellit: at

si odium mortale & violentum sit, non modo eum, quem odio prosequimur, fugimus & detestamur; sed & omnium consanguineorum & amicorum ejus conversationem averfamur, & abhorremus: imo nequidem imaginem ejus, aut aliquid ad ipsum spectans ferimus; ita, dum poenitens peccatum suum non nisi levi, tametsi vera, contritione odit, proponit quidem non amplius peccare; at, cum potenti, & animosa contritione ipsum execratur, non tantum ipsum, sed & omnes ejusdem affectus, dependentias, conductus, & tendentias ad peccandum detestatur. Quocirca quantum possibile erit, nostra nobis est, Philothea! augenda contritio, & poenitudo, ut etiam ad minimas usque peccati affinitates, & consanguinitates sese extendat. Sic S. Maria Magdalena sua in conversione ita omnem erga peccata, & delectationes, quas ex eis aliquando senserat, sensum, gustumque deposuit, ut nunquam exinde amplius de eo cogitarit. Et David agebat, se non solum peccatum, sed & omnes ad *iniquitatem vias*, & *semitas odio habuisse*. Atque in hoc vera animæ rejuvenescencia, quam idem Propheta renovationi aquilæ comparat, consistit.

Ut autem ad hanc, quam dixi, apprehensionem, & contritionem pertingas, in sequentibus te meditationibus serio exerceas oportet: quæ, si rite, debiteque exerceantur, non  
solum

solum peccatum, sed & primarias quasque erga ipsum affectiones, concurrente DEI gratia, ex animo tuo eradicabunt. Nam ad hunc eas usum, & finem præcipue, & expresse concinnavi. Tu vero eas consequenter, unam post aliam, uti eas assignavi, usurpabis; sed unam duntaxat qualibet die capiendo, quam mane, si fieri potest, institues (hoc enim tempus est ad quaslibet Spiritus actiones, & exercitia peragenda maxime opportunum) eamque deinde per reliquum diei tecum ruminabis. Si vero nondum nosti, qua ratione te meditari oporteat, legito ea, quæ in secunda operis hujus parte scribentur.

## CAPUT IX.

### MEDITATIO PRIMA.

#### De Creatione.

- I. *Colloca te in DEI præsentia.*
- II. *Illum ora, ut tibi inspiret cogitanda.*

**P**rimo: Considera, non nisi tot annos effluxisse, ex quo in mundo esse cœpisti, & ante quos in eo non eras; & esse tuum merum fuisse nihil. Ubinam eramus, anima mea! ante illud tempus? Tanto jam tempore mundus duraverat, & steterat, nullaque prorsus adhuc nostri erat mentio!



Secundo : DEUS ex hoc nihilo prodire te fecit, & eduxit, ut tibi daret id, quod es; non quod te opus haberet, sed duntaxat e sola sua misericordia & bonitate.

Tertio: Considera esse, quod DEUS tibi dedit; est enim id primum esse mundi visibilis, & vitæ sempiternæ, perfectæque cum divina Majestate unionis capax.

*AFFECTUS, ET PROPOSITA.*

Primo humilia te profunde coram DEO, & dic cum Vate Regio: EGO VELUT NIHILUM ANTE TE, DOMINE! & quomodo recordatus es mei, ut me crearis? Eras, o anima mea! in antiquum illud nihil absorpta, & etiamnum absorpta esses, nisi DEUS inde te eduxisset; & quid, quæso, in illo nihilo ageres?

Secundo, age DEO gratias, dicens: o quantum tibi, o magne & benefice Creator! debeo, quod me in nihilo meo quærere dignatus sis, ut me per misericordiam tuam faceres eam, quæ modo sum? Quid, quæso, unquam faciam, ut digne & prout oportet nomini tuo magno benedicam, & immensæ bonitati tuæ æquivalentes gratias agam?

Tertio, confunde te: sed, eheu Creator mi! adeo me tibi per amorem, & obsequium non univi, ut per inordinatos, & effrænes appetitus, & affectus malos plane me tibi rebellem ostenderim, a te recedens & me subducens, quo peccato adhærerem, non magis  
boni-

bonitatem tuam honorans, & reverens, quam si creator meus non exstitiffes.

Quarto: Dejice te coram DEO: Noris, o anima! Dominum tuum esse DEUM; ipse fecit te, non tu teipsam: opus manum tuarum sum, Domine!

Quamobrem nolo post hac amplius in me-  
metipsa mihi complacere, utpote quæ a parte  
mea nihil sum. Quid superbis pluvius & ci-  
nis? imo vero merum nihil, quid te exaltas?  
utque me humiliem, hoc & hoc facere volo:  
tales & tales contumelias, vilipendia, vitupe-  
ria tolerare, vitam mutare, Creatorem meum  
posthac sequi, & adhærere, meque ob id esse,  
quod mihi dedit, felicem & honoratam repu-  
tare, ipsum ad voluntati ejus totaliter obse-  
quendum impendens, idque per media, quæ  
mihi suggerentur, & quæ a Patre meo spiri-  
tuali sciscitabor.

### C O N C L U S I O.

Primo gratias age DEO: Benedic, anima  
mea! Dominum, & omnia quæ intra me sunt,  
nomini sancto ejus: ejus namque bonitas e ni-  
hilo me eduxit, & misericordia ejus creavit me.

Secundo Offer: Offero tibi, DEUS meus!  
ex toto corde meo id esse, quod ante mihi de-  
disti, ipsumque tibi dedico, & consecro.

Tertio Ora: Corroborata & conforta me,  
DEUS meus! in hisce affectibus, & proposi-  
tis

tis meis. Tu eos, o sanctissima Virgo! filii tui misericordiæ commenda, uti & omnes illos, pro quibus orare teneor, &c.

*Pater noster, Ave Maria.*

Oratione absoluta, paululum obambulando, parvulum devotionis fasciculum e considerationibus, quas perpendisti, tibi colligito, quem deinde toto diei tempore olfacias, & naribus velut admoveas.

## CAPUT X.

### MEDITATIO SECUNDA.

De fine, ob quem conditi sumus.

- I. *In DEI conspectu te constitue.*
- II. *Eum precare, ut tibi cogitanda inspiret.*

**P**rimo: Non ideo te DEUS hoc in mundo constituit, quod in aliquo te opus haberet, quæ ei prorsus inutilis es; sed tantum ut suam in te bonitatem exerceret, suam tibi gratiam, & gloriam tribuendo. Idcirco tibi dedit intellectum, ad eum cognoscendum; memoriam, ut per hanc illius recordareris; voluntatem, ad eum amandum; imaginationem, ut hujus ope, & adminiculo, illius tibi beneficia repræsentares; oculos, ad operum illius mirabilia contemplanda; linguam ad eum laudandum; ac sic de reliquis facultatibus.



Secundo: Cum hac de causa creata, & in hoc mundo collocata sis; omnes, quæ huic directe contrariantur, actiones rejiciendæ tibi sunt, & evitandæ, quæque ad finem hunc assequendum nihil omnino conducunt, ceu vanæ, & superflua contemnendæ.

Tertio: Considera mundi hujus, & mundanorum miseriam, ac cæcitatem, utpote qui de hoc ne cogitant quidem, verum ita vivunt, perinde ac si crederent, non ad aliud se conditos esse, quam ad domos construendas, arbores plantandas, divitias coacervandas, & nugas agendas.

### AFFECTUS, ET PROPOSITA.

Primo Confunde te, suam animæ tuæ miseriam, & cæcitatem exprobando; utpote quæ tanta antehac fuit, ut de his omnibus raro, aut fortasse nunquam cogitarit. Ah! (inquit) quid cogitabam, DEUS meus! cum de te non cogitabam? cujus rei recordabar, cum tui obliviscebam? quid quæso, amabam, cum te non amabam? ipsa veritate, eheu! refici, & pasci debebam; & mera me implebam vanitate, mundoque serviebam, qui tamen ad mihi serviendum factus est.

Secundo Vitam transactam detestare. Renuntio vobis, o vanæ & inutiles cogitationes! abrenuntio vobis, detestabiles & frivolæ recordationes! repudio vos, amicitia infidæ, & perfidæ, obsequia amissa & infelicia, gratificæ

tificationes ingratae, & complacentiae displicentes, & molestae!

Tertio: Convertete te ad DEUM. Tu vero o DEUS & servator meus! posthac unicum cogitationum mearum objectum eris; & nunquam ullis cogitationibus, quae tibi displiceant, animum meum sinam intendere; & memoria mea, quoad vivam, nihil nisi bonitatis tuae tam benigne erga me exercitae magnitudinem pervolvat. Tu eris unicae cordis mei deliciae, & affectuum meorum dulcedo.

Itaque tales, ac tales nugae, quibus me applicabam; talia vana exercitia, quibus me integros dies impendebam; tales, & tales affectus, qui animum, & cor meum prorsus ad se rapiebant, posthac mihi horrore erunt; hunc ad finem his, & illis remediis utar.

### C O N C L U S I O.

Primo DEO gratias age, qui ad tam excellentem finem te creavit: Fecisti me, Domine! propter te, ut gloriae tuae immensitate aeternum fruar: quando vero eadem digna ero? & quando te, prout oportet, & officium meum exigit, benedicam?

Secundo: Offer. Offero tibi, Amantissime Creator meus! omnes hosce affectus, & proposita, idque ex tota anima, & ex toto corde meo.

Tertio: Roga. Rogo te, Domine! ut suspiria, & vota mea tibi placeant, sanctamque benedictionem tuam animæ meæ impertias, ut hæc eadem adimplere possit, idque per sanguinis filii tui in cruce effusi meritum, &c.

*Pater noster, Ave Maria.*

Concinna fasciculum devotionis, ut supra.

## CAPUT XI.

### MEDITATIO TERTIA.

De divinis beneficiis.

I. DEO te presentem siste.

II. Eum roga, ut tibi cogitanda inspiret.

PRIMO: Considera dona, & beneficia corporalia, quæ DEUS tibi dedit: quale nimirum corpus; qualia ad ipsum sustentandum media, & commoditates; qualem sanitatem; quales consolationes ei licitas; quales amicos; qualia subsidia. Sed dum hæc consideras, considera simul tam multos alios, qui plures, & digniores quam tu sunt, & tamen hisce beneficiis destituuntur; horum namque alii corpus habent mancum; alii valetudinem infirmam; alii membra luxata, & fracta; alii opprobriis, contemptui hominum, & ignominia expositi sunt; alii paupertate premuntur; te autem DEUS adeo miserum, & abjectum esse noluit.



Secundo : Perpende dona animi tui ; & quam multi in mundo sint stupidi, furiosi & insani : cur autem tu de horum numero non es ? quia DEUS tibi benefacere voluit. Quam multi item sunt, qui inter agrestes, & summa in rerum inscitia sunt educati ? Divina autem benignitas, & providentia disposuit, ut tu civiliter, & honeste educareris.

Tertio : Perpende tecum Philothea ! beneficia spiritualia. Es namque de numero filiarum Ecclesiæ ; jam inde a pueritia sui notitiam DEUS tibi tradidit, quoties te Sacramentorum suorum fecit participem. Quoties tibi inspirationes bonas, & illustrationes internas dedit ? quoties, quo vitam emendares, te coarguit, ac reprehendit ? quoties tua peccata tibi condonavit ? quoties e præsentissimo pereundi, in quod te conjeceras, periculo te eduxit ? & omnibus illis annis transactis, an non vel aliquod otium, & commoditatem habuisti, ad in animæ tuæ bonis proficiendum ? vide ergo singulatim, & enucleate, quam tibi DEUS benignus, & beneficus fuerit.

*AFFECTUS, ET PROPOSITA.*

Primo : DEI bonitatem admirare. Quam DEUS erga me bonus est, quam munificus ! quam cor tuum, Domine ! dives est in misericordia, & in benignitate liberale ! narremus in æternum, anima mea ! quanta is nobis beneficia contulerit, & fecerit.

Secundo: Tuam admirare ingratitude. At quid ego sum, Domine! ut tu mei memoriam habeas? Ah! quanta mea indignitas! Beneficia tua pedibus quodammodo proculcavi; gratias tuas inhonoravi; iis ad supremæ tuæ bonitatis abusum, & contemptum usa sum; & ingratitude meæ abyssum abysso gratiæ, & favoris tui ex adverso objeci.

Tertio: Excita te ad gratitudinem. Eja ergo cor meum! Magno huic benefactori tuo noli esse infidele, ingratum, & perfidum. Quid? nonne ex hoc momento DEO subiecta erit anima mea, qui in me tot mirabilia, & beneficia est operatus?

Quarto: Corpus itaque tuum, Philothea! ab his, & illis voluptatibus sequestra, & DEI contra obsequio illud mancipa, utpote qui tanta illius causa præstitit: animam vero tuam ad illum cognoscendum, & agnoscendum applica; idque per talia, & talia exercitia, quæ ad hoc requiruntur. Et quæ sunt in Ecclesia ad tui salvationem, & DEUM amandum media instituta, studiose, & diligenter usurpa. Hinc orationem frequentabo, & Sancta Sacramenta, Sanctum DEI verbum audiam, inspirationes, & consilia divina usurpabo.

### C O N C L U S I O.

Primo: Gratias age DEO, quod tibi jam eorum, quæ illi præstare teneris, nec non

omnium beneficiorum ante receptorum notitiam dederit.

Secundo: Offer illi cor cum omnibus propositis tuis.

Tertio: Precare, ut robur tibi det ad eadem fideliter practicanda, idque per meritum mortis filii ejus; præterea B. Virginis, & omnium Sanctorum patrocinium implora.

*Pater noster, Ave Maria.*

Collige fasciculum spiritualem, ut supra.

## CAPUT XII.

### MEDITATIO QUARTA.

#### De Peccatis.

I. *Constitue te coram DEO.*

II. *Illum roga, ut tibi cogitanda inspiret.*

**P**Rimo: Considera, a quanto jam tempore peccare inceperis; & quantum jam inde a primo illo principio peccata in corde tuo multiplicata sint: & quomodo singulis diebus illa contra DEUM, temetipsum, & proximum opere, verbo, desiderio, & cogitationibus adauxeris.

Secundo: Revolve pravas tuas inclinationes; & quomodo eas sis secuta. Et ex hisce duobus punctis notabis, peccata tua, & culpas super capillos capitis tui; quin & super  
are-



arenam, quæ est in littore maris, esse multiplicata.

Tertio: Peccatum ingratitude erga DEUM separatim considera; quod nimirum est peccatum generale, se super omnia alia peccata diffundens, eaque infinites enormiora, & graviora reddens. Vide ergo, quotnam tibi DEUS beneficia præstiterit; te vero omnibus contra donatorem, & collatorem tuum abusum esse: atque inprimis, quot sanctas inspirationes neglexeris: quot Sanctos DEI instinctus inutiles, & frustraneos reddideris: & (quod majus est) quoties Sacramenta tanta suscepisti, & ubinam sunt eorum fructus, ubinam pretiosa illa monilia, quibus dilectissimus sponsus tuus te condecorarat? omnia hæc sub iniquitatibus tuis tecta delituerunt. Qua etiam præparatione animi eadem recepisti? Perpende tecum hanc ingratitude, quod, cum DEUS tam impense te consecutus sit ad te salvandam, ut semper ab illo aufugeris, in interitum tuum properans.

*AFFECTUS, ET PROPOSITA.*

Primo: Ob miseriam, & indignitatem tuam erubescere, & confundere. Quomodo, o DEUS meus! in conspectu tuo comparere audebo? eheu! non sum nisi mundi apostema, & ingratitude, & iniquitatis sentina, fieri potest, adeo me perfidam fuisse, ut ne unus qui-

dem sensus meus, nec una animæ meæ potentiarum fuerit, quam non inquinari, violari, corruperim; ac ne unus quidem vitæ meæ dies effluerit, quo non pravos affectus produxerim? Itane me Creatoris mei beneficia remunerari, & effuso Redemptoris mei sanguini respondere, & par pari referre oportebat?

Secundo: Veniam roga, & ad Domini pedes te, perinde ac filius quidam prodigus, Maria quædam Magdalena, & tanquam mulier illa plurimis adulteriis infamis, abjiciens dic: Miserere Domine indignissimæ hujus peccatricis! ah, vive compassionis fons, misereatur te misellæ hujus prævariatricis.

Tertio: Vitæ emendationem propone. Non amplius, Domine, non amplius, mediante gratia tua, non amplius posthac me peccato tradam, & explicabo. Eheu! nimis quam multum ipsum hæctenus amavi; jam vero ipsum detestor, teque amplector. Tibi, o Pater misericordiæ! volo vivere, & in te mori.

Quarto: Quo præterita peccata deleam, ultronee, & animose me accusabo; & ne unum quidem relinquam, quod non expellam, & effugem.

Quinto: Faciam, quidquid possum ad fibras ejus e corde meo penitus evellendas, ac præsertim talium, ac talium, quæ mihi plus molestiarum inferunt, & maxime infestant.

Sexto: Quo autem melius id faciam, amplectar constanter omnia, quæ mihi suggerentur consilia, & monita; & nunquam satis me fecisse putabo, ad tam ingentes, & graves defectus reparandos.

### CONCLUSIO.

Primo: Gratias age DEO, qui te usque in hanc horam tam patienter expectavit, & bonos hos affectus tibi suggessit.

Secundo: Cor tuum illi offer, ad eos opere exequendos.

Tertio: Eum precare, ut tibi ad eosdem fideliter practicandos vires det, idque per meritum Filii ejus; invoca quoque B. V. & Sanctorum patrocinium.

*Pater noster, Ave Maria.*

Collige fasciculum spiritualem, ut supra.

## CAPUT XIII.

### MEDITATIO QUINTA.

De Morte.

- I. Constitue te in presentia DEI.
- II. Illius gratiam exposce.
- III. Imaginare te præ morbi gravitate ad extrema redactam in lecto mortuali decumbere, adeo, ut nulla tibi spes evadendi affulgeat.

PRIMO: Considera incertitudinem diei mortis tuæ. Semel te, o anima mea! ex hoc corpore emigrare oportebit. At quando hoc



contingeret? in hieme, an in æstate? in urbe, an rure? noctu, an interdiu? improvisone, an expectato, & advertenter? an hoc e morbo, an morte casuali? otiumne, ac tempus peccatorum confessionis instituendæ tibi erit, an non? Confessarium, aut Patrem tuum spirituales apud te habebis, an non? Horum omnium, eheu! nihil certo scimus. Hoc duntaxat certum est, nos morituros, & semper opinato celerius, & citius.

Secundo; Considera mundum hunc, quod ad te spectat, tum finiendum, & illius tibi quidem nihil tunc amplius reliquum fore; illum ante oculos tuos invertendum, & tamen in se permanens. Et vere; etenim voluptates, vanitates, mundana gaudia, & vani affectus; tunc tibi ceu inania phantasmata, & evanidæ nubeculæ videbuntur. Ah misera! quasnam ob nugas, & chimæras DEUM meum offendi? nam videbis tunc, nos DEUM propter nihilum dereliquisse. Devotio, & bona opera contra, tunc tibi valde desiderabilia, & dulcia videbuntur. Cur autem amœnam, & jucundam hanc vitam non sum secuta? Tunc quoque peccata, quæ exigua ante videbantur, montium instar vasta, & gravia videbuntur, devotio vero tua nimis quam exigua.

Tertio: Perpende tecum magnum illud, & triste supremum vale, quod anima tua mundo

do huic inferiori dabit. Valedicet siquidem divitiis, vanitatibus, & inanibus sodalitiis, voluptatibus, lusibus, recreationibus, amicis item & vicinis, consanguineis, filiis, marito, uxori, denique omnibus omnino creaturis: summa, etiam corpori suo, quod pallidum, horridum, luridum, deforme, & putridum relinquet.

Quarto: Quam omnes satagent, & serio se accingent, ad exsangue illud corpus inde amovendum, & in terræ visceribus abscondendum; & illo jam sepulto, vix ullum amplius de te cogitaturum, nec amplius ullam tui memoriam fore, perinde atque tu vix unquam de aliis mortuis, dum viveres, cogitasti. Dicent quidem de te: *Requiescat in pace!* dein nihil amplius. Quam, o mors! digna es, quæ perpendaris; quam vero ipsa immittis, & implacabilis es.

Quinto: Cogita, animam corpore jam egredientem, viam suam ingredi, sive ad dextram, sive ad sinistram. Ah! quo nam abit tua? quamnam inibit viam? non aliam certe, quam illam, quam in hoc mundo inire coepit.

#### AFFECTUS, ET PROPOSITA.

Primo: Ora DEUM, teque intra brachia ejus conjice. Tu me, quæso, Domine! pro die illa tremenda, in tuam protectionem, & tutelam recipe; fac, obsecro, mihi horam  
C 5 illam

illam felicem, & favorabilem; reliquæ vero omnes vitæ horæ potius mihi tristes sint, & amaræ.

Secundo: Mundum despice. Cum horam nesciam, qua tu mihi, o munde! relinquendus sis, nolo posthac amplius tibi adhærere. Sinite me, quæso, charissimi amici, affines, & contubernales mei, vos posthac non alio affectu, & amicitia prosequi, quam sancto, qui in æternum durare queat. Ad quid enim tali amicitia vobis uniar, & jungar, ut vinculum & unionem ejus postea cogamur abrumpere?

Ad hanc horam ergo me præparare volo, & eam sollicitudinem, & diligentiam adhibere, quæ ad transitum illum feliciter faciendum requiritur. Conscientiæ meæ statum, quantum mihi possibile erit, in tuto collocare, & tales defectus emendare mihi propositum est.

## C O N C L U S I O.

DEO Opt. Max. ob hæc proposita, quæ tibi suggestit, gratias agito; Majestatique ejus eadem offero: eum quoque roga, ut mortem tuam felicem reddat.

Beatæ Virginis, & Sanctorum opem ad hoc implora.

*Pater noster, Ave Maria.*

Fasciculum myrrhæ hic tibi colligito.



## CAPUT XIV.

## MEDITATIO SEXTA.

## De Judicio.

- I. *Imaginare te coram DEO consistere.*  
 II. *Eum roga, ut cogitanda tibi inspirare dignetur.*

**P**Rimo: Tandem post tempus, quod DEUS mundi hujus durationi præfinivit, evolutionum, postque plurima signa, & horrenda præfagia, & prænuntia, quibus visis homines arescent præ horrore, & pavore; ignis instar diluvii superadveniens, universam terræ superficiem ita comburet, atque in cineres rediget, ut nihil eorum, quæ jam in illa videmus, ab eo futurum sit immune, & excipiendum.

Secundo: Post hoc flammaram, & fulminum diluvium, homines omnes ( præter eos, qui jam resurrexere ) e terra redivivi resurgent, & ad vocem Archangeli in valle Josaphat comparebunt, sed quo, eheu! cum discrimine? nam hi quidem in gloriosis, & fulgidis hi apparebunt corporibus; alii in foedis, & horrendis.

Tertio: Perpende Majestatem, in qua summus ipse Judex adveniet, omnibus enim Angelis, & Sanctis erit circumdatus, & ante se habebit Crucem suam sole ipso rutilantiorem, quæ gratiæ signum erit bonis, indignationis, & rigoris improbis.

Quar-

Quarta: Supremus hic Judex terribili jussu suo, qui quam primum etiam executioni mandabitur, bonos sequestrabit a malis, illos quidem ad dextram suam, hos ad sinistram collocaturus. Æterna hæc separatio erit, & post illam nunquam amplius utraque hæc pars invicem videbunt, aut unum in locum convenient.

Quinto: Sequestratione hac peracta, & libris conscientiarum apertis, liquido patebit hinc improborum malitia, & quo DEUM contempere, neglectus; illuc vero proborum pœnitentia, gratiæ a DEO acceptæ effectus: adeo, ut nihil illic absconditum futurum sit. Quantam illi quidem, DEUS bone! ibi sentient confusionem, hi vero consolationem.

Sexto: Perpende tecum supremam Judicis adversus reprobos sententiam: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* Quæ verba adeo gravia mature, & exacte tecum velim examines. *Ite*, inquit, est id verbum perpetuæ rejectionis, qua DEUS hujusmodi sceleratos a se rejicit, æternum eos a facie sua ablegans, & effugans. Dein, vocat eos *maledictos*: quam gravis, o anima mea! hæc est maledictio? maledictio est generalis, quæ omnia quotquot sunt, in sese mala complectitur; maledictio irrevocabilis, quæ omnia tempora, quin & ipsam æternitatem involvit. Addit, *in ignem æternum*: con-

side.

sidera, & intuere, o anima mea! longam hanc æternitatem. Quam, o æterna pœnarum æternitas, terribilis tu es, & horrenda!

Septimo: Contrariam, quæ in bonos fertur, sententiam considera. *Venite*, inquit Judex, ( est hoc suave verbum salutis, quo DEUS nos ad se trahit, atque intra bonitatis suæ sinum recipit ) *Benedicti Patris mei*. O cara, & optabilis, benedictio, quæ omnem benedictionem complectitur! *possidete paratum vobis regnum, a constitutione mundi*. Hem! quantum hoc, DEUS bone, beneficium est! nam regnum hoc nunquam habebit finem.

#### AFFECTUS, ET PROPOSITA.

Primo: Contremiskas, & paveas, o anima mea! dum hæc recordaris. Quis, o DEUS meus! pro die illa securam me reddat, in qua columnæ cœli præ pavore contremiscent?

Secundo: Peccata tua detestare, quæ sola te in horrenda illa die perdere, & damnare possunt. Jam me hic dijudicare volo, ut ibi non judicet: jam conscientiam meam examinare, meque condemnare, accusare, & emendare, ne me Judex in terribili isto die condemnet, quo circa jam confitebor, & salutaria necessariaque consilia amplectar, &c.

#### C O N C L U S I O.

DEO gratias age, qui tibi modum, & occasionem suggestit salutis tuæ in diem illum

affe-



affecurandæ, nec non tempus pœnitentiæ faciendæ concessit.

Cor tuum, ad illam faciendam illi offer.

Illum ora, gratiam tibi debite officio tuo fungendi concedat.

*Pater noster, Ave Maria.*

Collige fasciculum.

## CAPUT XV.

### MEDITATIO SEPTIMA.

#### De Inferno.

- I. *Finge te coram divina Majestate constitutam esse.*
- II. *Humilia te, ejusque opem implora.*
- III. *Imaginatione tibi depinge urbem quandam tenebrosam, sulphure & pice graveolenti undique ardentem, & civibus egredi ex illa non valentibus plenissimam.*

**P**Rimo : Damnati in infernali abyſſo perinde sunt constituti, atque in urbe illa infortunata, quam nobis depinximus, in qua ineffabilia in omnibus sensibus, & membris suis tormenta patiuntur; nam sicuti omnes sensus suos & membra peccato impenderunt, ita & in omnibus membris & sensibus pœnas peccato debitas sustinebunt; oculi quidem, propter lascivos & vetitos aspectus, horribili cacodæmonum intuitu, & inferni visione tor-  
que-

quebuntur; aures vero, quod e rerum veterarum & improbarum auditione voluptatem coeperint, aliud quam comploratus, lamenta desperantium, indignationes, non audient, & sic de cæteris.

Secundo: Præter omnia illa tormenta sensuum esse aliud longe gravius; ipsa, inquam, gloriæ cœlestis carentia & amissio, a qua in æternum exclusi sunt, quamque nunquam videre dabitur. Si enim Absalon amabilis & gratiosi vultus patris sui David carentiam exilio suo graviolem & amariorem duxit; quam, DEUS bone! amarum, & triste erit, suavi & amabili vultu ac conspectu tuo æternum privari.

Tertio: Perpende inprimis, & quam maxime, tormentorum tuorum æternitatem, quæ sola infernum reddit intolerabilem. Si enim vel pulex, qui in aurem irrepsit, si modicæ febriculæ æstus brevem noctem, longam adeo & molestam tibi videri facit, quam sane erit terribilis illa æternitatis nox, tot tormentis comitata? Ex hac autem æternitate nascitur æterna desperatio, blasphemix, & infinita rabies.

#### AFFECTUS, ET PROPOSITA.

Animam tuam perterrefac verbis illis Job: Poterisne, o anima mea! habitare in æternum cum ardoribus illis sempiternis, & cum igne

igne illo devorante? Quid? DEumne tuum in æternum deserere, & amittere cupis?

Confitere, id te aliquando promeritam esse, & quidem toties; porro posthac aliam viam inire volo, cur enim in abyssum illam descendam?

Ergo hoc, & illo modo peccatum, quod solum mihi mortem hanc æternam adferre potest, evitare conabor.

Gratias age, te ipsum offer, & precare, ut supra.

## CAPUT XVI.

### MEDITATIO OCTAVA.

#### De Cœlo.

*I. Constitue te in DEI presentia.*

*II. Opem divinam implora.*

**P**Rimo: Considera noctem quandam serenam, & stellis toto Cœlo collucentibus claram; & cogita, quam jucundum sit videre cœlum, tanta siderum multitudine, & varietate distinctum. Conjunge jam hujus noctis pulchritudinem cum pulchritudine sudæ, & sereni cujusdam diei, adeo ut ipsa Solis claritas aspectum stellarum, & Lunæ visum non impediatur; ac deinde apud teipsam audacter dicito, omnem hanc pulchritudinem simul conjunctam nihil esse, si cum pulchritudi-



tudine, & excellentia cœli comparetur. Ah, quam locus ille desiderabilis, & optabilis est! quam civitas illa pretiosa!

Secundo: Considera civium, & beatæ illius civitatis incolarum nobilitatem, pulchritudinem, ac multitudinem, milliones illos millionum Angelorum, Cherubinorum, & Seraphinorum; copiam illam Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, ac Sanctarum mulierum, quorum omnium numerus est innumerabilis. O quam societas illa beata, & felix est! quorum minimum videre delectabilius est, quam universum simul mundum; quid ergo erit, videre omnes simul? sed, o DEUS bone! quam illi felices sunt! semper quippe canunt suave amoris æterni canticum, semper in constanti lætitiæ, & non interrupto gaudio agunt, inexplicabilem sibi mutuo adferunt lætitiâ, & beatæ, & indissolubilis cujusdem societatis consolatione fruuntur.

Tertio: Cogita denique, quantum eorum omnium sit bonum, quod DEO fruantur, qui jucundissimo suo conspectu eos æternum beat, & recreat, atque inde quantam in animos eorum deliciarum, & gaudiorum abyssum instillat. Ecquod enim est bonum, suo semper Principi adesse? sunt ibi quoque sicut beatissimæ quædam aves in aëre cœloque divinitatis (a quo undequaque incredibilibus deliciis

perfunduntur, & circumcinguntur) perpetuo volitantes, & cantillantes. Ibi quisque certatim, & sine ulla æmulatione, quam potest optime, Creatoris sui laudes decantat, dicens: Esto in æternum benedictus, dulcissime, & supreme Creator, & Salvator noster, qui adeo nobis bonus es, tuamque gloriam nobis tam liberaliter communicas. Ipse quoque DEUS vicissim reciproceque sanctos suos omnes perpetua quadam benedictione benedicit. Benedicte vos in æternum, charissimæ creaturæ meæ, quæ mihi in vita servivistis, meque in perpetuum tam magno cum amore, & animo laudabitis.

*AFFECTUS, ET PROPOSITA.*

Primo: Admirare, & lauda patriam hanc cœlestem, dicendo: quam pulchra es, charissima mea civitas Jerusalem, & quam beati omnes qui habitant in te!

Secundo: Animo tuo pusillanimitatem, & inertiam exprobra, quam hætenus prætulisti a gloriosæ hujus habitationis via usque adeo despectendo. Ah! cur a summa felicitate, & beatitudine mea tam procul declinavi? Ah miseram me! propter voluptates ita insipidas, & leves, millies, & millies æternas, & infinitas illas delicias dereliqui. Quis mihi tunc animus fuit, ut bona illa adeo desiderabilia contemnerem, quo adeo vanos, & contemptibiles appetitus ac desideria exequerer?

Ter-

Tertio : Anhela nihilominus, magna cum animi intensione ad requiem illam usque adeo deliciosam. At quoniam tibi, clementissime, & supreme Domine, gressus meus in viis tuis restituere jam, & collocare placuit, nunquam amplius retrocedam, aut post tergum respiciam. Introeamus ergo, anima mea, introeamus in requiem illam infinitam; tendamus ad terram illam benedictam, quæ nobis promissa est, quid enim in Ægypto hac facimus? ab illis ergo me rebus sequestrabo, quæ me ab hac via vel revocant, aut ab ea ineunda retardant.

Faciam item hæc, & hæc, quæ me ad eandem conducant.

Gratias age, offer, precare.

## CAPUT XVII.

### MEDITATIO NONA.

Per modum electionis, & optionis cœlestis gloriæ.

- I. *Imaginare te DEO præsentem esse.*
- II. *Humilia te coram illo, rogaque, ut tibi cogitanda inspiret.*

CONsidera, & imaginare, te in aperto campo solam cum Angelo tuo custode, uti olim junior Tobias in Rages Medorum proficiscens, agere ac versari, eumque tibi e terra



furfum cœlum apertum, cum omnibus voluptatibus, & deliciis, in meditatione de cœlo, quam jam instituisti, delineatis ostendere. Inferne vero eum tibi infernum patentem, cum omnibus iis tormentis, quæ in meditatione de inferno descriptæ sunt, demonstrare. Ubi ergo sic te coram Angelo tuo custode constitutam & flectentem imaginata fueris:

Primo cogita, vere te mediam inter cœlum, & infernum constitutam esse, & tam illud, quam hunc, ad te admittendam patere, pro electione, quam ipsa facies.

Secundo: Considera, electionem alterutrius, quam quis hoc in mundo fecerit, æternum in altero duraturam.

Tertio: Tametsi utrumque ad te admittendam pateat (prout quidem tu optionem factura es) DEUM tamen, qui paratus est, aut hunc tibi dare ex justitia, aut illud e misericordia sua, desiderio quodam incredibili desiderare, ut cœlum eligas, quin & Angelum tuum custodem omnimode huc te propellere, mille tibi a DEI parte gratias, mille subsidia, quorum ope in cœlum ascendere possis, offerendo.

Quarto: Dominus noster JESUS Christus e summo cœlorum ea, qua est, benignitate te aspicit, & quam blandissime invitat dicens: Intra dilecta anima mea, in requiem æternam, conjice te intra bonitatis meæ brachia,

chia, quæ immortales illas delicias ex amoris sui abundantia tibi præparavit. Contemplantur quoque internis oculis tuis beatissimam Virginem Deiparam, matrem te invitantem, ac dicentem: Eja, dilecta mea, noli filii mei delicias aspernari; & tot suspiria mea, quæ tui causa, æternam salutem tuam una cum ipso cupidissime desiderans, emitto, parum morari. Vide etiam Sanctos, te studiose exhortantes, & tot sanctarum animarum miliones, te blande amiceque invitantes, adeo nihil videre desiderantes, quam ut cor tuum cum suo aliquando conjunctum sit, quo junctis animis DEUM in omne ævum dilaudetis, tibi que certo asseverantes, viam cœli non tam esse arduam ac difficilem, quam eam mundus delineat, ac comminiscitur. Eja age, inquit, dilectissima: quisquis viam devotionis (qua nos huc ascendimus) intime perspexerit, certe per delicias, mundanis deliciis incomparabiliter suaviores, ad hasce nos delicias pervenisse comperiet.

Quinto: Ex hoc jam, & in æternum, te detestor, inferne, tua detestor tormenta & supplicia, infortunatam, & infelicem tuam detestor æternitatem, atque imprimis æternas illas blasphemias, & execrandas maledictiones, quas perpetim in DEUM meum evomis: & cor atque animam meam versus te, o pulchrum cœlum, æterna gloria, felicitas

duratura, convertens, æternum, & irrevocabiliter domicilium & habitaculum meum in pulchris ac sacris domibus tuis, atque in Sanctis, & desiderabilibus tabernaculis tuis seligo. Laudo, & benedico, DEUS meus, misericordiam tuam; & oblationem, quam mihi facere dignaris, admitto. O JESU! Salvator meus, æternum amorem tuum, & acquisitionem loci, & domicilii illius, quod mihi in cœlesti illa Jerusalem comparasti, ratum habeo, & certe non propter aliud quid, quam ut te æternum amem, & jugiter benedicam.

Sexto: Admitte favores, obsequia, & benevolentiam, quam Deipara Virgo, & Sancti tibi offerunt: promitte illis, contento cursu, & recta ad eos te properaturam. Manum quoque tuam ad Angelum Custodem, ut eodem conducat, extende, & animam tuam ad electionem hanc faciendam excita.

## CAPUT XVIII.

### MEDITATIO DECIMA.

Per modum electionis, & optionis, qua anima vitam devotam sibi deligit.

- I. *Constitue te in DEI conspectu.*
- II. *Humilia te coram ipso ejusque opem postula.*

**P**Rimo: Finge te rursus cum Angelo tuo custode solam aperto in campo agere, &  
ad



ad latus sinistrum videre te dæmonem, in magno quodam throno sublime elevato sedentem, plurimis spiritibus infernalibus stipatum, in circuitu autem ejus permagnam mundanorum hominum multitudinem, qui omnes capite denudato ipsum ut Dominum agnoscant, eique velut vasalli homagium præstent: hi quidem hoc, illi illo peccato. Vide: omnium horum infelicitum abominabilis hujus Regis clientum, & aulicorum agendi modum. Vide, ut alii quidem modo, invidia, iracundia rabiant, & efferascant; alii se invicem occidant; alii, quo opes coacervent, sordidi, luridi, cogitabundi sint & effictim fatagentes; alii in vanitatem toti intendant, & semper recreationem, & voluptatem consectentur, sed quæ inutilis ac vana sit; alii denique in brutalibus suis affectibus & appetibus sordescant, perdantur, & velut computrescant. Vide, ut omnes hi requiem nullam habeant, nullo ferantur ordine, sed gestu modoque incondito. Vide, ut se mutuo contemnant, & nonnisi ficto simulatoque se invicem amore diligant. Videbis ergo hic calamitosam, & infelicem quandam rempublicam cui maledictus hic Rex tyrannice præsit, ut non possis ejus commiseratione non tangi.

Secundo: Ad dextrum vero latus conspice JESUM, Christum crucifixum, Patrem suum

intimo, & cordiali cum amore pro misellis illis cacodæmonis clientibus deprecantem, ut tyrannico hoc egredi possint imperio, & eos contra ad se vocantem, & invitantem. Conspecte præterea ingentem piorum, & devotorum hominum multitudinem, una cum suis Angelis custodibus ipsum circumstantium. Considera quoque Regni hujus devotionis pulchritudinem, quam enim jucundum, & volupe est, videre turbam illam Virginum, Virorum æque ac Fœminarum, liliis candidiorem, ac societatem illam Viduarum, sacra quadam mortificatione, & humilitate plenarum! vide item illam multorum conjugatorum, tam amice, & jucunde, & tamen mutuo cum honore, inter sese viventium (quod certe sine magna quadam dilectione fieri non potest) classem. Vide, ut devotæ illæ animæ domus suæ exterioris curam cum interiori jungant, & amorem mariti, cum amore sponsi cœlestis copulent. Oculos tuos per omnia circumfer, & in omnibus sanctum, suavem, & amabilem quendam agendi modum, & schema notabis, & eos omnes Domini verbis quam attentissime auscultantes, universos porro ita affectos, ut eum in cordis sui meditullio infixum habere vellent.

Gaudent illi quidem, sed gaudio gratioso, charitativo, & optime ordinato. Mutuo sese diligunt, sed amore sacro, & purissimo.

Quot-

Quotquot autem, in devota hac turba, angustiantur, & affliguntur, non multum propterea contristantur, aut a debito mentis statu, aut modestia dimoventur. Vide denique oculos Domini, ut ipse eos consoletur, utque vicissim illi omnes simul ad ipsum aspirent.

Tertio: Jam inde ex hoc quidem die Satanam, & execrabilem, & detestandam ejus catervam, per bonos affectus, & proposita, quos jam concepisti, deseruisti; nondum tamen ad Regem JESUM pervenisti, nec beatæ & sanctæ ejus devotorum societati te adjunxisti, sed semper inter utrumque ducem mediam te continuisti.

Quarto: DEIPARA Mater una cum S. Josepho, S. Ludovicus Rex, S. Monica, & alii plurimi eorum, qui in mundo vixere, te invitant, & animum addunt.

Quinto: Rex ipse Crucifixus proprio te nomine compellans: *veni*, inquit, *dilecta mea*, *veni*, *ut coronem te*.

### ELECTIO.

Primo: Nunquam exinde amplius me, o munde & caterva abominabilis! sub tuis signis videbis. In perpetuum simul & semel, vanitates, & insanias tuas falsas deserui. Abrenuntio tibi, o Rex superbiæ, Rex infelicitatis, spiritus infernalis, cum omnibus pompis tuis vanis, & cum omnibus operibus te detestor.



Secundo: Ad te autem, o dulcissime JESU! æternæ felicitatis & gloriæ Rex, convertens me, ex toto corde meo te adoro, amodo & in perpetuum te in Regem meum eligo, & inviolabili fide mea irrevocabile tibi homagium, & obsequium præsto, meque sanctarum legum, & præceptorum tuorum observantiæ obedientiæque subjicio.

Tertio: Te quoque, o Sanctissima Virgo, dilecta Domina mea! hodie in ducem eligo, sub signa tua concedo, tibi que me specialem quandam venerationem, cultum, & honorem delaturam spondeo.

Tu autem, o Sanctissime Angele Custos! sacræ huic societati, & catervæ me præsentata, neque me deseras, usque dum ad beatum illud contubernium perveniam, cum quo in electionis meæ signum, dico, & semper dicam: *vivat JESUS! vivat JESUS!*

## CAPUT XIX.

*Quomodo Confessio generalis instituenda sit?*

**H**Æ sunt igitur, carissima Philothea! meditationes, proposito & intentioni nostræ necessariae: quas, ubi solveris, & meditata fueris, intrepide in spiritu humilitatis, generalem tuam confessionem instituere incipe. Hoc unum porro hic te rogo, ne ullo inani timore turberis, aut anxieris. Scorpio, qui  
nos

nos ferit, dum ferit, venenatus est; at in oleum liquatus, præstans est adversus proprium morsum, & aculeum, antidotum, ac remedium. Peccatum non aliter probrosum, & infame est, nisi dum admitteitur, at in confessionem, & pœnitentiam jam conversum, honorabile & salutare est. Contritio quippe, & Confessio tam sunt salutares, tamque beneredolentes, ut peccati turpitudinem eradant, & illius fœtorem tollant. Simon Leprosus Mariam Magdalenam dicebat esse peccatricem, at non sic Salvator, nec jam de commissis peccatis, sed tantum de unguento, quod effundit, deque magnitudine charitatis ejus loquitur. Si vere humiles simus, Philothea! infinite nobis peccatum nostrum displicebit, quod DEUS per ipsum offendatur; at ejusdem accusatio suavis nobis erit, & jucunda, quod per ipsam DEUS honoretur. Alleviamentum quoddam in morbo est, malum, quo premeris, medico minutim detegere, & aperire. Cum ergo ante Patrem tuum Spiritualem veneris, in monte te Calvariaæ agere, & sub JESU Christi crucifixi pedibus consistere fingito, cujus pretiosus sanguis undequaque effluit & exuberat, ut te ab iniquitatibus tuis emundet, ac lavet. Nam tamen ipsissimus Salvatoris JESU Sanguis non sit, est tamen Sanguinis ejus effusi meritum, qui pœnitentes circum confessionalia abundan-

dantissime irrigat, lavat, & respergit. Bene igitur ac sincere cor tuum adaperi, ut sic peccata per confessionem eodem egredi facias: nam, quantum illa egredientur, tantum pretiosum passionis Divinæ meritum illuc subingredietur, quo benedictione id repleat.

Verum simpliciter, candide & sincere animi tui statum declara, & detege; & ubi semel rite confessa fueris, conscientiam tuam quieta & tranquilla. Hoc facto, attende sedulo ad monita, & præscripta servi & vicarii DEI, & dic in corde tuo: *Loquere Domine, quoniam audit ancilla tua.* Et sane, o Philothea! DEUM in eo loquentem audis & auscultas, cum ipse vicariis suis dicat: *Qui vos audit, me audit.* Accipe deinde in manus sequentem protestationem, qua contritionem tuam terminabis, & concludes (quam vero prius bene perpendis & consideraris oportet) attente porro, & quam poteris affectuosissime, & cordialissime eam legito.

## CAPUT XX.

*Authentica protestatio, ad propositum DEO  
serviendi in anima sculpendum, & pœnitentiæ  
actus concludendos.*

**E**Go subscripta, & coram DEO æterno, atque universa curia cœlesti constituta, postquam immensam divinæ bonitatis misericor-



cordiam, quam in me indignissimam, & miser-  
rimam creaturam exhibuit, dum me e nihilo  
creavit, hætenus conservavit, sustinuit, a  
tot periculis liberavit, totque beneficiis cu-  
mulavit, consideravi, atque imprimis post-  
quam incomprehensibilem illam benignitatem  
& clementiam perpendi, qua suavissimus ille  
DEUS tam benigne me hætenus in meis ini-  
quitatibus sustinuit, toties tamque amice  
bona mihi inspiravit, me invitans, ut vitam  
meam emendarem, ac tam patienter me ad  
pœnitentiam & resipiscentiam expectavit id-  
que usque ad hunc N. ætatis meæ annum, etsi  
ego me ex opposito tam ingratham, perfidam  
& infidam ei exhibuerim, ut & conversionem  
meam differendo, & ejus gratias negligendo,  
eum tam imprudenter, stolide inconsulteque  
offenderim; postquam denique consideravi,  
me tametsi in die, quo sacrum baptisma re-  
cepi, tam feliciter ac Sancte DEO meo ob-  
lata & dedicata fuerim, quo ejus filia fierem,  
toties, & toties contra professionem, tunc  
nomine meo factam, tam perfide & indigne  
spiritum meum profanasse, & violasse, eum  
contra divinam Majestatem usurpando & im-  
pendendo; jam tandem intra meipsam reversa,  
& corde ac spiritu coram justitiæ divinæ thro-  
no prostrata, me legitime riteque criminis læ-  
sæ Majestatis Divinæ accusatam & convictam,  
& mortis ac passionis JESU Christi ream, fa-  
teor,

teor, agnosco, & assero, idque ob peccata, quæ commisi, propter quæ illum mori, & crucis tormentum subire oportuit, adeo, ut propterea digna sim, quæ in æternum peream & damner.

Sed ad infinitæ DEI hujus æterni misericordiæ thronum me denuo convertens, postquam scilicet jam ex toto corde, & omnibus viribus meis, præteritæ vitæ scelera sum detestata, supplex eorum veniam, remissionem & indulgentiam, cum integra & totali criminis mei abolitione, rogo, & depono; idque in virtute mortis & passionis ejusdem Domini & Redemptoris animæ meæ: qua, tanquam unico spei meæ fundamento, nixa, sacram fidelitatis professionem, & Sacramentum, DEO meo olim in baptismo nomine meo factum, rursus redintegro, ac renovo, diabolo, mundo, & carni renuntians, & pravas illorum suggestiones, vanitates, & concupiscentias pro toto hujus vitæ & totius æternitatis tempore detestans; meque ad benignum, & clementem DEUM meum convertens, desidero, propono, decerno, & irrevocabiliter statuo, & modo, & in æternum, ei servire, & diligere; & hunc ad finem ei spiritum meum cum omnibus suis facultatibus, animam cum omnibus potentiis, cor cum omnibus affectibus, corpus denique meum cum omnibus sensibus suis do, offero,

&

& dedico. Promitto quoque & spondeo, nulla me posthac amplius esse mei portione, adversus Divinam ejus voluntatem, & supremam Majestatem, (cui me in spiritu sacrificio & immolo) abusuram; ut sic illi in perpetuum, fida, obediens, & fidelis creatura sim, nunquam ut hoc meum propositum revocare, ac dictorum pœnitere velim. Sed, eheu! si forte, vel inimici suggestionem, vel ex aliqua infirmitate humana, aliquapiam in re huic meo proposito & oblationi me contingeret contrarium facere & contravenire; jam inde ab hoc tempore protestor, & propono, mediante Spiritus Sancti gratia, quamprimum ac percepero lapsum, resurgere, denuo me ad divinam misericordiam sine ulla mora ac dilatione convertendo. Hæc mea est voluntas, mea intentio, & inviolabile, & irrevocabile propositum meum, quod sine ulla restrictione, aut exceptione, coram DEO meo, & in conspectu Ecclesiæ triumphantis, atque in facie Ecclesiæ militantis, matris meæ, quæ hanc meam declarationem & professionem audit, & excipit, in persona ejus, qui velut illius minister in hac actione me audit, & auscultat, profiteor & confirmo. Tu autem, o æterne, omnipotens, & optime DEUS meus! Pater, Fili, & Spiritus Sancte, hoc in me propositum confirmare, & cordiale hoc & interius officium atque obsequium meum in  
odo-



odorem suavitatis admittere dignare. Et sicuti ejus faciendi animum ac voluntatem mihi dignatus es inspirare, ita quoque, ut mihi robur & gratiam ad ipsum perficiendum & adimplendum concedere digneris, supplex te rogo. Tu, o DEUS! es DEUS meus, DEUS cordis mei, DEUS animæ meæ, DEUS spiritus mei: & ut talem te agnosco, & adoro, jam, & in omnem æternitatem. *Vivat JESUS.*

## CAPUT XXI.

### *Conclusio primæ hujus purgationis.*

**H**Ac protestatione jam facta, attende, & cordis tui aures aperi, ut absolutionis tuæ, quam ipsemet animæ tuæ Salvator, in misericordiæ suæ throno confidens, in cælo, coram omnibus Angelis & Sanctis, eo ipso tempore, quo illius nomine Sacerdos hic in terra te absolvit, pronuntiabit, sententiam ac verbum in spiritu excipias, & audias. Adeo ut omnis hæc Beatorum turba, de tua felicitate congaudens, & exultans, spirituale incomparabilis cujusdem lætitiæ canticum cantatura sit, atque universi pacis & societatis osculum cordi tuo, jam gratiæ restituto & sanctificato, daturi sint.

En, Charissima Philothea! mirabile quoddam pactum, quo nimirum felicem cum Di-

vina ejus Majestate conventionem, & contractum inis: nam teipsam ei dando, illam tibi acquiris, uti & teipsam, in vitam aeternam. Aliud ergo jam non restat, quam ut calamum in manus accipiens, protestationis tuæ actum libenter gratanterque obsignes; ac deinde altare adeas, ubi DEUS vicissim tuam absolutionem, & promissionem, qua tibi cœlum suum promittet, obsignabit, & sigillabit, semetipsum per Sacramentum suum, ut signaculum sacrum super cor tuum jam renovatum ponendo. Hoc pacto anima tua, Philothea! (ut mihi quidem videtur) & a peccato, & ab omnibus peccati affectibus expurgabitur. At, quoniam hi affectus tum propter infirmitatem, tum propter concupiscentiam nostram, quæ mortificari quidem potest, at non mori, quamdiu hic in terra vivimus, in anima facile repullulant, & renascuntur; consilia quædam & documenta tibi dabo, quæ ubi rite observatis; & a peccato mortali, & ab omnibus ejusdem affectibus in posterum te præservabunt, ne quem id deinde unquam in corde tuo locum habeat. Et, quoniam hæc ipsa documenta etiam in perfectiore quadam purificatione locum habent; hinc prius, quam illa tibi proponam, aliquid tibi de perfectiore hac puritate, & perfectione, ad quam te cupio conducere, volo proponere.

## CAPUT XXII.

*Affectus erga peccata venialia expurgandi,  
& eliminandi sunt.*

QUanto dies fit clarior, & altius ascendit, tanto in speculo vultus nostri maculas & nævos clarius conspiciamus: sic, quo internum Spiritus Sancti lumen conscientias nostras magis illustrat, & illuminat, eo distinctius & clarius peccata, inclinationes, & imperfectiones, quæ impedire nos possunt, quo minus ad veram devotionem pertingamus, inibi perspicimus. Et idem lumen, quod nos maculas has, & nævos videre facit, simul in nobis desiderium quoddam eosdem tollendi, nosque ab iis expurgandi excitat.

Ergo ejus adminiculo, charissima Philothea! habere te videbis in anima præter peccata mortalia, & affectus erga eadem, (a quibus jam per exercitia superius assignata expurgata es) multas etiam inclinationes, & affectus erga peccata venialia. Non dico, te peccata venialia detecturam & perspecturam, sed affectus & propensiones erga eadem. Porro magna est inter utrumque differentia: nam nunquam ex toto a venialibus puri & mundi esse possumus, saltem ut diu in hac puritate vivamus, & maneamus; at possumus nullam erga venialia peccata propensionem habere. Etenim aliud est, semel aut iterum



rum e quadam animi hilaritate ac levitate, in parvi momenti re mentiri; aliud, in mendacio sibi complacere, & erga hoc peccati genus affectum esse.

Dico ergo jam, animam expurgandam esse ab omnibus, quos erga peccata venialia habet, affectibus, id est, voluntatem in aliquo peccati venialis genere sponte permanendi & perseverandi, voluntarie fovendam non esse. Et certe nimis quam magna negligentia foret & locordia, sponte nostra rem adeo DEO displicentem, (uti est continua ei displicere volendi voluntas) in conscientia nostra conservare velle. Quoniam omne peccatum veniale, quantumvis parvum, displicet DEO, tametsi usque adeo ei non displiceat, ut ob ipsum nos damnare, aut perdere velit, si vero veniale peccatum ei displiceat, voluntas certe & affectus erga ipsum aliud non est, quam quoddam divinæ ejus Majestati displicere volendi propositum, fierine porro potest, ut anima timorata, & bona, velit non modo DEO suo displicere, verum etiam displicere ei gaudeat?

Affectus hi, Philothea! devotioni directe contrarii sunt, uti affectus erga lethale charitati: etenim spiritus vires evigoraunt, & elanguidas reddunt, consolationes divinas impediunt, tentationibus ostium patefaciunt, & quamquam animam non occidant, eam ta-

men valde debilitant, & ægrotam reddunt. *Musca morientes*, ait Sapiens, corrumpunt, & perdunt *suavitatem unguenti*. Dicere vult: muscas, dum unguento vix insident, & ipsum non nisi obiter & volitanter delibant, aliud non corrumpere, quam quod inde sumunt, adeo ut, quod reliquum est, integrum maneat: at, cum in unguento confident, & manent, ipsum destruere, depravare, & insipidum reddere. Ad eundem modum peccata venialia cum in animam devotam incidunt; siquidem diu in ea non remaneant, non multum ei damni inferunt; at, si in illa per affectum, quem erga eadem concipit, diu remanent, unguenti, id est, sanctæ devotionis, suavitatem haud dubie ipsam amittere faciunt.

Aranæ apes non enecant, ipsarum tamen mel corrumpunt, & destruunt, ipsarumque favos telis suis prætextis irretiunt, ut suum illæ opus prosequi, & perficere nequeant, tum vero id obtinent maxime, cum in alveariis & circa favos illæ commorantur: sic peccatum veniale animam quidem nostram non occidit; devotionem tamen corrumpit, pravisque habitibus, & propensionibus usque adeo animæ potentias intricat, ut charitatem illam promptam, in qua tamen ipsa sita devotio est, amplius exercere non possit. Intelligendum vero hoc est, quando veniale peccatum stabilem in conscientia nostra per affectum, quo  
erga

erga ipsum afficimur, sedem figit. Nihil est, Philothea! parvum aliquod mendacium dicere; nihil est, in verbis, actibus, aspectibus, vestibus, ornamentis, lusibus, tripudiis aliquantulum decori ac debiti metas excedere; dummodo statim, ut primum aranearum illarum spirituales in conscientiam nostram irrepserint, eas expellamus, & eliminemus, uti apes araneas corporales, at, si eas in cordibus nostris sedem figere permittamus, quin etiam libenter eas retinere, & ut ut multiplicentur, gaudeamus, statim & mel nostrum deperditum, & conscientiarum nostrarum alveare virulentia infectum videbimus, & destructum. Sed iterum dico, & repeto, impar & dissentaneum rationi est, animam generosam gaudere DEO suo displicere, & pro voluptate ducere, illius inimicam, & adversariam constitui: desiderare denique velle id, quod illi novit molestum, & inimicum esse.

## CAPUT XXIII.

*Affectus erga res inutiles, & periculosas effugandus, & pellendus est.*

**L**usus, tripudia, convivia, comœdiæ, ex se & in sua substantia minime mala, sed indifferentia sunt; cum & bene, & male exerceri queant: tamen semper sunt in se periculosa, atque erga eadem affici, etiam periculosius. Dico ergo, Philothea! esto, licitum



tum sit ludere, tripudiare, ornare se, honestis interesse comœdiis, convivari; tamen nimio opere erga eadem propendere, & affici, devotioni contrarium est, summopere noxium, ac periculo evidenti expositum. Non est malum, & illicitum, eadem usurpare; sed malum, erga ipsa affici. Damnosum siquidem est, in cordis nostri agro tam vanos & stolidos affectus serere; cum illi bonarum affectionum locum occupent, atque impediunt, quo minus animæ nostræ succus in bonas inclinationes impendatur.

Si olim Nazaræi abstinebant non solum omni eo, quod inebriare poterat, sed & uvis passis, & omphacio: non quod uvæ, & omphacium inebrient, sed quod periculum esset, ne comedendo omphacium, uvarum comedendarum appetitus excitaretur, & uvas comedendo, musti, ac deinde vini bibendi cupido sese insinuaret. Non dico autem, rebus his periculosissimis nos uti non posse, sed nunquam erga easdem sine magno devotionis dispendio posse affici. Cervi, cum nimium pingues fiunt, secedunt, & intra spelæa sua sese abdunt, probe gnari, suam sibi pinguedinem obesse, & oneri esse; adeo, ut, si forte impeterentur, & deprehenderentur, cursui inepti sint. Cor hominis inutilibus, superfluis, & periculosissimis hisce affectibus sese onerans, haud dubie prompte, facile, & ex-

pe-

pedite ad DEUM currere non potest, qui verus devotionis scopus est. Pueri impense afficiuntur, & insaniunt in papiliones; & vix ullus id ipsis improbat, eo quod pueri sunt, at ridiculum non est, sed deplorandum; viros jam formatos, & plenos ætate, enixim & perditæ in nugas adeo indignas ferri videre, uti sunt ea, quæ jam nominavi; quæ præterquam, quod inutilia sunt, periculum creant, ne in ipsorum consecratione extra præscriptos limites feramur. Hos ergo affectus purges oportet, charissima Philothea, & licet illorum affectus non semper devotioni adversentur, affectus tamen semper ei perniciosi & noxii sunt.


## CAPUT XXIV.

*A malis inclinationibus animus expurgandus.*

**H**abemus præterea, Philothea, naturales quasdam inclinationes, quæ quia suam a peccatis nostris particularibus originem non habuere, hinc proprie peccata non sunt, nec mortale, nec veniale, sed imperfectiones appellantur, & ipsarum actus dicuntur defectus. Verbi gratia, S. Paula Romana, teste Sancto Hieronymo, magnam erga tristitiam, & pusillanimitatem inclinationem habebat, adeo ut in prolium, & conjugis sui morte animo ita dejiceretur, ut, ne præ dolore exspiraret, periculum foret. Erat hoc quædam imperfectio, non vero peccatum; cum invita, &

nolens ita animo contraheretur. Sunt, qui natura leves sunt, sunt, qui præfracti, & asperi, alii in aliorum sententia, & opinione admittenda perdifficiles, alii in indignationem, alii in choleram, alii in amorem propendent. Summa, quam paucissimos reperire est, in quibus non istiusmodi imperfectionum aliqua notetur. Etsi vero hæ unicuique velut propriæ, & naturales sint, contrario tamen affectu, & cura corrigi, & moderari possunt, imo vero se plane quis ab iis liberare, & expurgare potest, & dico tibi, Philothea! debet. Inventa ratio est amygdalas amaras in dulces commutandi, si videlicet eæ in pede trunci perforentur, ut succus corticis illinc exstillet; cur ergo facere ipsi non poterimus, ut inclinationes nostræ perversæ egrediantur, quo meliores succedant. Nulla adeo bona indoles, & natura est, quæ non per habitus vitiosos reddi queat mala: & vice versa, nulla adeo austera, & pervicax est, quæ primo per DEI gratiam, deinde per industriam, & diligentiam propriam, domari & exsuperari non valeat. Unde jam monita, & exercitia quædam tibi proponere incipiam, quorum adminiculo, & usu animam ab effectibus periculosis, imperfectionibus, & omnibus erga peccata venialia propensionibus expurgare, & conscientiam tuam magis, & magis adversus omne peccatum mortale comuni-re, & securam reddere poteris. Gratiam tibi det DEUS ad eadem rite usurpanda. IN-





# INTRODUCTIONIS PARS SECUNDA,

*Varia continens monita, & consilia, ut anima ad DEUM per orationem, & Sacramentorum usum elevetur.*

## CAPUT I.

### *De Orationis necessitate.*



Nihil est, quod magis intellectum a suis ignorantibus, & voluntatem ab affectibus depravatis expurget, quam oratio, utpote quæ mentem, & intellectum divina claritate ac lumine illustrat, atque amoris cœlestis calore voluntatem incendit. Est namque ipsa velut aqua benedictionis, quæ irrigatione sua bonorum desideriorum nostrorum plantas reviviscere, & florere facit, animas a suis purgat imperfectionibus, corda vero a suis liberat passionibus.

Secundo: Inprimis vero tibi consulo orationem mentalem ac cordialem, & eam ma-

xime, quæ circa vitam, & passionem Domini Nostri JESU Christi versatur: si enim sæpe eam meditando consideres, tota anima tua illo replebitur, illius modum agendi addisces, & ad exemplar, & normam illius omnes actiones tuas conformabis. Ipse est lux mundi, in ipso ergo, per ipsum, & ob ipsum illustrari, & illuminari debemus: est item arbor desiderii, sub cujus umbra requiescere, & refrigerari nos oportet: est vivus fons Jacob, in quo omnes nostræ maculæ, & nævi ablui debent. Pueri, loquentes matres suas frequenter audiendo, & una cum ipsis balbutiendo, illarum linguam, & loquelam discunt. Sic nos apud Salvatorem nostrum per meditationem frequenter agentes, ac verba, actiones, & affectus ejus observantes, illius gratia juvante, discemus loqui, facere, & velle, uti ipse. Hic pedem figamus oportet, Philothea, nec enim per aliam, quam per hanc, ad DEUM Patrem ire portam possumus. Nam sicuti speculi æquor vultum, & oculos nostros non referret, nec in se detineret, nisi retrorsum stanno, & plumbo inductum foret: ita nec Divinitas in mundo hoc inferiore commode a nobis considerari posset, nisi sacræ Salvatoris nostri humanitati eadem foret conjuncta, & unita; hujus vero vita, & mors tale objectum, & materia sunt, ut nullum magis proportionatum, suavius, deliciosius & utilius

lius eo in ordinariam nostram meditationem seligere possemus. Unde non frustra Redemptor noster, panis, qui de cœlo descendit, appellatur; nam sicuti panis cum quolibet cibo comedi debet; sic & Salvator in omnibus orationibus, & actionibus nostris meditari, considerari, & requiri. Vita & mors ejus fuit in diversa puncta, ut meditationi accommodaretur, a variis auctoribus divisa, distributa & distincta: inter quos tibi inprimis suadeo legas, S. Bonaventuram, Bellarminum, Brunum, Capilliam, Granatensem, Ludovicum de Ponte.

Tertio: Quotidie horam unam ante prandium ei impende, & si fieri potest, mane; tunc enim spiritus tuus minus erit turbatus, & post nocturnam quietem vigorosior. Neque etiam plus quam horæ spatium ei impendito, nisi Pater tuus spiritualis expresse id tibi præcipiat, aut suadeat.

Quarto: Si exercitium hoc in templo facere possis, & satis ibi tranquillitatis invenias, percommodum certe id tibi erit, & facile; quod tibi nec pater, nec mater, nec uxor, nec maritus, nec alius quislibet impedimento esse poterit, quo minus una hora in templo agas; cum, si alicui subjecta sis, horam tam liberam in domo tua tibi forsitan promittere non posses.

Quin-



Quinto: Omnem orationem, tam mentalem, quam vocalem, a DEI præsentia inchoa, & hanc regulam semper sine ulla exceptione observa, & brevi videbis, quantum tibi ea imaginatio boni sit allatura.

Sexto: ( mihi credas velim ) Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Apostolorum Symbolum recitabis latine; sed quid eorum verba in lingua vernacula significant, bene ut intelligas, elabora: ut etsi ea communi Ecclesiæ lingua recites, nihilominus admirabilem, & sapidum sanctarum harum orationum sensum gustare possis, quas ita percurres, ut simul cogitatione sensum illarum profunde rimeris, & affectum tuum circa eundem excites: neque etiam festines, ut multa dicas, sed elabores potius, ut, quid quid dicas, ex corde, & affectuose dicas. Nam vel una oratio Dominica cum sensu, & attente recitata, pluris valet, quam centum festinanter, & celeriter decursæ.

Septimo: Rosarium utilissimus, & commodissimus orandi modus, & ratio est, dummodo id sicut oportet, & convenit, legere noris: quod ut facias, fac habeas e libellis illis aliquem, qui ejus recitandi modum tradunt. Perutile quoque est Litanias de Redemptore JESU, B. Virgine, & Sanctis legere; nec non eas omnes orationes vocales, quæ Manualibus, & Officiis approbatis continentur.

Ea tamen conditione, ut, si orationis mentalis donum habeas, ei semper primum locum assignes. Adeo, ut, si post hanc absolutam commode orationem vocalem facere nequeas, aut negotiorum multitudine obruta, aut alia qualibet de causa, non multum propterea crucieris, aut contristeris; sed satis tibi sit, ante vel post meditationem solam Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum recitare.

Octavo: Si, dum orationem vocalem facis, cor tuum ad interiorem ac mentalem trahi, & allici senties, ne relucteris, neque invita illi te applices, sed spiritum tuum suaviter illam in partem ferri, & delabi sinas; neque ideo anxia sis, quod forte orationes vocales, quas facere proposueras, non persolveris: mentalis enim, quam illarum loco fecisti, & DEO est gratior, & animæ tuæ utilior, excipio vero Officium, & Horas Canonicas, si ad easdem recitandas obligeris. Tunc quippe debiti partes explendæ sunt, & officio satisfaciendum.

Nono: Si totum tempus ante meridianum ita tibi effluere contingat, ut hoc orationis mentalis exercitium peragere commode non possis, aut ob varia & multiplicia negotia, vel ob aliam quamlibet causam (quod quantum tibi possibile est, videre debes, ne unquam contingat) defectum hunc post prandium

dium reparare satage, idque ea hora, quæ a ciborum sumptione maxime distet: nam si immediate a sumpto cibo, & antequam ejus digestio longius protracta sit, eas instituas, & multo sopore opprimeris, & valetudo tua non parum detrimenti accipiet.

Si vero tota die nulla ad eam faciendam tibi suppetat opportunitas, jactura illa refarcienda est, aut jaculatorias orationes per diem multiplicando, aut aliquem librum spiritualem legendo, aut quandam adjungendo pœnitentiam, quæ, ne hic defectus sæpius occurat, & multiplicetur, impediatur, & firmum facito propositum, postridie melius officio tuo fungendi.

## CAPUT II.

*Brevis meditandi methodus: & primo de DEI presentia, quæ est primum Præludiorum punctum.*

**A**T nescis forsan, Philothea, quo sit mentis talis oratio modo instituenda? est enim res, quam nescio quo infortunio, pauci nostra hac ætate noverunt, atque hac de causa facilem, & brevem ad hoc methodum tibi hic propono: Exspectans fore, ut multorum insignium, qui hac de re compositi sunt, librorum lectione, & super omnia usu, uberius & magis instruaris. Primum tibi hic  
pro



propono præparationem, aut præludia, quæ in duobus punctis consistunt: quorum primum est, collocare se in DEI conspectu & præsentia; alterum, ejus auxilium invocare. Ut autem te in DEI præsentia constituas, quatuor principalia tibi media propono, quibus hocce in principio uti poteris.

Primum in viva & attenta quadam omnipræsentia DEI apprehensione situm est; ut cogites nimirum, DEUM esse in omnibus, & ubique, & nullum in hoc universo locum, aut rem esse, in quo non adsit verissima quadam præsentia præsens: adeo, ut sicuti aves, quocunque volitant, semper aërem inveniunt; sic, quocunque ambulamus, & ubicunque sumus, semper DEUM præsentem inveniamus. Unusquisque quidem veritatem hanc novit, at non omnes attenti sunt, ut eam apprehendant. Cæci tametsi non videant Principem, qui ipsis præsens est, tamen non minus sese reverenter gerunt, dummodo eum præsentem esse admoniti sint. Sed quoniam eum non vident, hinc facile obliviscuntur, illum præsentem esse, & hoc obliti, adhuc facilius respectum illius, & reverentiam amittunt. Non videmus, eheu! Philothea, DEUM, qui nobis præsens adest: & esto, fides nos doceat, eum semper nobis præsentem esse, tamen, quod eum oculis nostris non cernamus, hinc sæpe ejusdem obliviscimur,

&

& ita nos gerimus, ac si prorsus a nobis abesset: nam tametsi eum omnibus rebus presentem esse noverimus, cum tamen de eo non cogitamus, perinde id est, ac si id non sciremus. Hac de causa semper ante orationem anima ad attentam quandam hujus presentia DEI cogitationem considerationemque excitanda est. Hanc apprehendebat David, cum exclamaret: *Si ascendero in Caelum, DEUS meus, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Unde verbis illis Patriarchæ Jacob uti debemus: qui visa scala illa sacra, *quam terribilis, inquit, est locus iste! vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Dicere vult: se ad hoc non respexisse; nam ignorare non poterat, DEUM in omnibus, & ubique presentem esse. Ergo ad orationem accedens, ex toto corde tua una, & cordi tuo dicas: *Vere, o cor meum! DEUS est hic.*

Alterum, sese in hac sacra DEI presentia constituendi, medium est, cogitare, DEUM non solum in loco, in quo tu agis, sed etiam particularissime in corde tuo, & in spiritus tui fundo intimo adesse, utpote, quod ipse Divina sua presentia vivificat, & animat, ibi perinde ac cor cordis tui, & spiritus spiritus tui existens: nam uti anima, per totum corpus diffusa, in omnibus ejus partibus presentem existit, tametsi speciali quadam residentia in corde sedem habeat: eodem modo DEUS, licet

licet omnibus rebus præsentissimus sit, speciali tamen modo spiritui, & cordi nostro præsens assistit, hinc eum Davit vocat: *DEUM cordis sui*; & S. Paulus agebat: *In DEO vivimus, movemur, & sumus.* Itaque in veritatis hujus consideratione magnam in corde tuo erga *DEUM*, qui ei adeo intime præsens est, reverentiam excitabis.

Tertium medium est, ipsum Redemptorem nostrum *JESUM* intueri, & considerare, utpote qui sua in humanitate, jam inde e Cœlis, omnes, qui in mundo sunt, homines contemplantur; sed imprimis Christianos, qui ejus sunt filii, & eos quam maxime, qui orationi insistant, quorum actiones, gestus, & agendi modum considerat, atque intuetur. Non est autem hoc nuda quædam fictio, & imaginatio, sed ipsissima veritas; nam, quamvis eum non videamus, e summo tamen cœlorum nos considerat. Sic Stephanus eum vidit, cum pro nomine illius mortem oppeteret: adeo, ut cum Sponsa dicere non immerito possimus: *En ipse stat post parietem, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.*

Quartum medium in eo consistit, ut nuda simplicique imaginatione utamur, Salvatorem nos nostrum in sacra sua humanitate coram videre imaginantes, tanquam si apud nos versaretur, perinde, atque amicos ipsi nostros nobis repræsentamus, & dicimus: *fingo mihi,*



me videre talem, qui faciat hoc, aut illud; videor mihi illum videre, aut simile quid. At, si Sanctissimum Altaris Sacramentum in meditationis loco adesset, tunc præsentia illa realis esset, & non pure imaginaria. Etenim species, & accidentia panis, essent velut tapetum, retro quo Domus realiter præsens nos conspicit, & considerat, esto eum in propria forma non videamus. Aliquo ergo ex hisce quatuor mediis uteris, ad animam tuam in DEI præsentia ante orationem constituendam, nec vero omnia hæc media uno tempore simul sunt usurpanda, sed tantum singillatim unum, idque breviter, & simpliciter.

### CAPUT III.

*De invocatione, altero præparationis puncto.*

**I**Nvocatio porro fit hoc modo: Anima tua in DEI præsentia se agere sentiens, summa quadam cum reverentia sese prosternit, indignissimam sese reputans, quæ coram adeo sublimi, & suprema Majestate versetur; sciens tamen, hanc ipsam bonitatem id velle, gratiam ab ipsa postulat ad illi bene serviendum, & in hac meditatione illam adorandum. Si velis, brevibus, & ardentibus quibusdam verbis ad hoc uti poteris, uti sunt illa Davidis: *Ne projicias me, DEUS meus, a facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.* Illumi-

na faciem tuam super ancillam tuam, & considerabo mirabilia de lege tua, da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam ex toto corde meo. Ego ancilla tua, da mihi spiritum; & alia id genus verba. Utile quoque fuerit præterea, Angeli tui Custodis, & personarum, quæ in mysterio, quod meditaris, occurrent, opem invocare; verbi gratia: in mysterio mortis Dominicæ invocare poteris B. Virginem Matrem, S. Joannem, Mariam Magdalenam, bonum Latronem, ut sensus & motus interiores, quos ipsi ibi accepere, tibi communicentur. In meditatione vero de morte propria, Angelum Custodem, qui haud dubie in ea præsens aderit, invocare poteris, ut tibi hic convenientes inspiret considerationes, & sic de aliis mysteriis.

## CAPUT IV.

*De mysterii propositione, tertio præparationis puncto.*

POST duo hæc præparationis ordinaria puncta, est & tertium quoddam, quod omnibus meditationibus commune non est, nec convenit: estque, quam nonnulli fabricationem loci, alii lectionem interiorem vocant. Nihil porro hoc est aliud, quam ipsum meditando mysterii corpus imaginationi suæ proponere, perinde ac si realiter, & de facto co-

ram nobis perageretur. Exempli causa, Dominum JESUM in cruce fixum meditari vis, finges te in monte Calvariae praesentem adesse, & quidquid in die passionis factum, & dictum est, coram oculis tuis spectare. Aut si velis (idem enim est) imaginaberis, eo ipso loco, in quo tu es, Domini crucifixionem fieri, eo prorsus modo, quo eam Evangelistae describunt. Idem faciendum, quando de morte meditaberis, uti in meditatione de eadem indicavi; item in ea, quae de inferno, & in omnibus ejus generis mysteriis, in quibus de visibilibus, & sensibilibus rebus fit meditatio: nam in aliis mysteriis, uti de DEI magnitudine, de virtutum praestantia, de fine, ob quem conditi sumus, (quae certe invisibilia sunt) non est, quod hac imaginatione uti velimus. Possumus quidem aliqua similitudine aut comparatione, per quam consideratio non nihil juvetur, ad hoc uti: sed haec non ita facile passim occurrit, & ego non nisi valde simpliciter tecum agere volo, & ita, ut spiritus tuus non multum talibus inveniendis fatigetur.

Porro, imaginationis hujus adminiculo, spiritum nostrum intra mysterii meditandi limites coarctamus, & restringimus, ne huc & illuc libere divagetur, perinde atque avis caeveae includitur, vel accipiter perticae alligatur, ut aucupis pugno insideat. Dicent tibi fortassis



tallis nonnulli, satius esse, simplici cogitatione fidei, & nuda apprehensione, plane mentali, & spirituali in horum mysteriorum representatione uti, aut considerare, rem ipsam in tuo spiritu peragi. Bene quidem, sed est hoc sub principium nimis subtile, & quoad usque DEUS altius te sustollat, consulo tibi, Philothea, ut in humili, quam tibi commonstro, valle te detineas.

## CAPUT V.

*De considerationibus, secunda meditationis parte.*

POST imaginationis actionem sequitur actio intellectus, quam meditationem appellamus, quæ nihil aliud est, quam una, aut plures considerationes, eo fine factæ, ut motus nostri in DEUM, & res Divinas emoveantur. In quo meditatio a studio, & aliis cogitationibus, & considerationibus differt, quod hæ non ad virtutem, & amorem Divinum acquirendum, sed alia quadam de causa, & intentione, uti ad scientiam consequendam, ad scribendum, & disputandum, instituantur. Postquam ergo jam spiritum tuum materiæ, quam meditari voles, septis (uti dictum est) inclusisti, vel per imaginationem (si quidem materia sensibilis est) vel per simplicem propositionem (si sensibilis non est) consideratio-

nes circa illam facere incipies, quarum exempla plane efformata in meditationibus, quas tibi ante proposui, invenies. Quod si spiritus tuus sat gustus, luminis, & fructus in una consideratione inveniat, in ea sistes, neque ulterius progredieris, apes scilicet imitando, quæ florem non deserunt, quamdiu mel, quod ex eo colligant, inveniunt. At si in aliquo puncto quid, quod arrideat, non invenias, postquam aliquantisper in eo hæseris, & velut experimentum feceris, ad aliud transibis, in quo tamen non cursim, & præcipitanter, sed perconsiderate procedas oportet.

## CAPUT VI.

*De affectibus & propositis, tertia meditationis parte.*

**M**editatio in voluntate, aut affectiva animæ nostræ parte bonos motus ciet, & diffundit, uti sunt amor DEI & proximi, cœli & gloriæ æternæ desiderium, zelus salutis animarum, imitatio vitæ Domini nostri Jesu Christi, compassio, admiratio, gaudium, DEO displicendi, judicii & inferni timor, peccati odium, fiducia de DEI bonitate & misericordia, confusio denique ob vitæ præteritæ flagitia. Hos in affectus spiritus noster, quantum ei possibile erit, se diffundat, & extendat oportet. Si aliquod hic habere admini-  
culum

culum & subsidium velis, primum Andreae Capilliae meditationum tomum in manus sume, ejusque praefationem legito, in qua ostendit, quomodo hos affectus dilatare nos oporteat; & multo uberius Pater Arias in tractatu de oratione mentali.

Non adeo tamen, Philothea, affectibus generalibus hisce insistas oportet, ut non eos in specialia & particularia ad correctionem, & emendationem tuam tendentia proposita convertas. Exempli gratia: Primum, quod Dominus in Cruce protulit, verbum, bonum haud dubie in anima tua affectum, imitationis nimirum quoddam tuis ignoscendi inimicis, eosque diligendi desiderium excitabit. Dico porro, parum admodum id esse, nisi insuper speciale quoddam propositum concipias hoc modo: Agedum ergo, non offendar posthac amplius verbis illis amarulentis, & contumeliosis, quibus hic, aut illa, vicinus, aut vicina, domesticus, aut domestica mea me non nunquam proscindunt; neque illo aut illo vilipendio, quo ille aut illa me contempserit; imo e contrario talia & talia dicam, aut faciam, ad eum mihi lucrandum, & emolliendum, & sic de aliis. Hac ratione fiet, Philothea, ut brevi in tempore defectus tuos corrigas; cum per solos affectus id non nisi lente admodum & difficillime factura sis.



## CAPUT VII.

*De Conclusionē, & fasciculo spirituali.*

CONcludenda denique meditatio per tres actiones est, quæ, quam potest, maxima fieri humilitate debent. Prima est, actio gratiarum, qua DEO gratiæ pro affectibus & propositis, quos tibi dedit, nec non pro bonitate & misericordia ejusdem, quam in meditationis mysterio vidimus, agantur. Altera est, actio oblationis, qua suam DEO bonitatem & misericordiam, nec non mortem, sanguinem, & virtutes filii, & una cum ipsis affectibus & proposita nostra offerimus. Tertia denique est supplicationis, per quam DEUM rogamus, & enixe obsecramus, ut nobis filii sui gratias & virtutes communicet, suamque affectibus & propositis nostris benedictionem impertiat, ut eadem fideliter exequi valeamus. Oramus præterea pro Ecclesia, Pastoribus nostris, parentibus, amicis, & aliis, Beatissimæ Virginis Mariæ, Angelorum, Sanctorumque intercessionem ad hoc implorantes. Denique notavi, orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, quæ generalis & necessaria fidelium omnium oratio est, in fine subnecti debere.

His omnibus adjunxi, fasciculum quendam devotionis, nobis ex omnibus illis colligendum

dum esse. Quemadmodum enim, qui per hortum, floribus variis distinctum, aliquantulum ambularunt, non libenter illo egrediuntur, nisi quatuor aut quinque hinc inde ex eo floribus decerptis, quos olfaciant, & toto deinde die manibus versent, & teneant: ita postquam spiritus noster jam meditatione aliquod mysterium percurrit, punctum unum atque alterum, aut fortasse etiam tria, nobis eligendum est, quod nimirum maxime nobis in ea arrisit, quodque profectui nostro potissime conducere comperimus, ut illius per reliquum diei recordemur, & spiritualiter ipsum odoremur. Hoc autem fiat in ipsomet meditationis loco, aliquantisper post eam illic, in solitudine agendo, aut obambulando.

## CAPUT VIII.

*Utilissima quædam circa meditationem ipsam documenta.*

**H**Oc in primis requiritur, Philothea, ut cum jam a meditando surrexisti, proposita & deliberationes, quæ fecisti, memoria teneas, quo eadem toto die studiose executioni mandes. Hic est magnus meditationis fructus, qui si non sequatur, ipsa sæpenumero non modo inutilis, verum & noxia est: virtutes enim meditatæ, & non practicatæ, subinde spiritum & mentem inflant, dum tales nos

esse opinamur, quales esse proposuimus, & statuimus, quod tunc demum procul dubio verum est, cum proposita viva sunt & solida: at viva revera non sunt, sed vana & periculosa, si executioni minime mandentur. Omnimodis ergo procurandum, ut illa opere ipso exequamur, quin & occasiones ad hoc, parvæ sint, vel magnæ, quæritando. Exempli gratia: Si mane inter meditandum decrevi, & statui, benignitate eos mihi devincire, & lucrari, qui me offendunt, per diem occasiones illis occurrendi captabo, ut sic eos amice benevoleque salutem; si vero illis occurrere nequeam, bene saltem de illis loquar, DEUMque pro ipsis rogabo.

Mentali hac oratione egressa, serio videbis, & cavebis, ne cor tuum usquam dure impingat, sic enim, quod in oratione collegisti, balsamum effunderes: id est, si fieri potest, silentium aliquantisper servabis, & suaviter sensimque animum ab oratione ad negotiorum tractationem conduces, quam poteris diutissime sensum & affectus, quos orando collegisti, conservare studens. Qui vasculo porcellano pretiosum aliquem liquorem domum deferendum excepisset, haud dubie lente modesteque incederet, nec huc illucque respiceret, sed modo ante se, ne forte in saxum aliquod impingat, aut incaute gressum figat, modo ad vasculum suum oculos converter-



verteret, visurus, an non id oblique teneat. Idem omnino te facere oportet, a meditatione surgentem: Vide, inquam, ne hinc tota simul distraharis, sed modeste cauteque te geras; verbi gratia: si obvium aliquem habeas, quem necessario te aut convenire, aut audire oporteat, non est, quod ab eo scrupulose te subducas, sed necessitati te accommoda, at ita, ut etiam super cor tuum vigiles, ejusque rationem habeas, ne videlicet sanctus orationis liquor effluat, nisi quam potest minimum.

Addiscas etiam paulatim usu oportet, ab oratione ad quaslibet actiones, quas vocatio & professio tua juste legitimeque a te exigit, esto eæ ab affectibus, quos in oratione accipimus, nimis quam remotæ esse videantur, transire. Norit, inquam, Advocatus, ab oratione, ad tribunal, & lites, mercator ad negotia, mulier conjugata ad matrimonii summa, & familiæ suæ impedimenta transire, idque tanta cum animi suavitate, & tranquillitate, ut spiritus propterea minime turbetur: cum enim tam hoc, quam illud, juxta Divinæ voluntatis præscriptum fiat, ipse ex uno ad aliud transitus in spiritu humilitatis, & devotionis faciendus est.

Continget interdum, mea Philothea, statim post factam præparationem & præludia, affectum tuum prorsus in DEUM moveri & abripi: quod cum continget, illi habentæ laxandæ

dæ sunt, nectunc ea, quam tibi tradidi, methodus sequenda. Nam tamen si ut plurimum consideratio affectus, & proposita præcedere debeat; tamen, si tibi Spiritus Sanctus affectus una cum consideratione donet; non est, quod usque adeo de consideratione labores, cum hæc non nisi ad affectum concitandum soleat adhiberi. Quodcumque ergo affectus se tibi insinuabunt, admittendi erunt, locusque iis dandus, tam ante, quam post considerationes advenientibus. Unde licet superius affectus post omnes considerationes posuerim, non alio id fine feci, quam ut ipsas orationis partes melius ab invicem distinguerem. Cæterum, generalis quædam regula esto, nunquam esse affectus comprimendos, aut compescendos; sed semper, quotiescunque occurrunt, egredi, & prorumpere sinendos. Quod, meo iudicio, non solum in illis aliis affectibus, sed etiam in gratiarum actione, oblatione, & supplicatione (quæ etiam medias inter considerationes instrui possunt) locum habet: nam tam parum hæc, quam alii affectus, reprimentenda, & retinenda sunt; esto hæc postea, in ipsa videlicet meditationis conclusione, rursus repetenda, & resumenda sint. Porro, proposita immediate post ipsos affectus elicitos, & in fine totius meditationis, ante ejusdem conclusionem sunt elicienda; nam cum particularia, & familiaria objecta nobis in iis re-

præsentare debeamus, certe si illa inter affectus ipsos misceremus, forsan aliquid nobis distractionum periculum adferre possent.

Affectibus, & propositis his aliquid subinde colloquium intermiscere consultum est, & modo Redemptorem nostrum JESUM Christum, modo Angelos, modo personas, quarum in mysteriis fit mentio, modo Sanctos, modo nos ipsos, modo cor nostrum, modo peccatores, imo etiam creaturas sensus expertes alloqui, & compellare, sicuti Davidem suis in Psalmis, & alios Sanctos in suis meditationibus, & orationibus facere videmus.

## CAPUT IX.

*De ariditatibus, quæ in meditatione contingunt.*

**S**I forte, o Philothea! nullum te in meditatione gustum, aut consolationem sentire contingat, ne propterea, obsecro te, turberis; sed verbaliter interdum loquere, sortem tuam apud Dominum deplora, indignitatem tuam confitere, & agnosce, eum roga, ut is te adjuvet, atque imaginem illius (si quidem habes) exosculare, & dic illi cum Jacobo Patriarcha: *Non dimittam te Domine, nisi benedixeris mihi.* Aut cum muliere Chananæa: *Etiam Domine, canis sum, sed & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.*

Ali-



Aliquando & librum aliquem pium in manus sume, eumque attente lege, usque dum spiritus tuus, stertens velut, excitetur, & intra te redeat. Interdum quoque per aliquem devotionis exterioris gestum motumque corruptum incita, in terram videlicet te proster-nendo, manus ante pectus crucis in modum committendo, Crucifixi imaginem amplectendo : si nimirum in loco separato privatoque agas, si post hæc omnia nondum redire consolationem sentias, noli, quantumvis magna ariditas tua sit, ullatenus propterea turbari, sed in devoto quodam gestu coram DEO tuo continere te pergas. Quam multi sunt aulici, qui plus centies anno durante Principis sui conclave ingrediuntur, sine ulla tamen illius alloquendi spe, sed tantum, ut ab ipso eminus videantur, sui que muneris partes expleant. Eo prorsus modo, charissima Philothea, ad sanctam nos orationem accedere oportet, videlicet non alia intentione, quam ut officio nostro fungamur, nostramque DEO fidelitatem testemur, & exhibeamus. Si ergo Divina Majestas nos in ea alloqui, & sanctis suis inspirationibus, & consolationibus interioribus nobiscum agere dignetur ; summo sane nobis id honori ac voluptati erit, at si hanc nobis gratiam facere noluerit, non magis nos alloquens, quam si nos minime videret, & in ejus conspectu non ageremus : non

id-

idcirco nos ab eo subducere, aut inde recedere, sed coram summa illa bonitate devoto quietoque gestu manere, & expectare debemus. Et certe nostram patientiam tunc dignanter respiciet, nostramque assiduitatem & perseverantiam benigne intuebitur; adeo, ut cum postea rursus ante conspectum ejus comparebimus, benevole nos respecturus, suisque nos consolationibus, & colloquiis dignaturus sit, sanctæ orationis amœnitatem & pulchritudinem nos videre faciens. Imo etiamsi id non præstaret, sufficiat nobis, Philothea, quod nimis quam honorificum nobis sit, apud ipsum, & in conspectu illius agere.

## C A P U T X.

### *Exercitium matutinum.*

**P**Ræter orationem illam mentalem integram & formatam, ac præter alias orationes vocales, quas semel in die te facere oportet, sunt & alii quinque orationum modi, quæ quidem in se breviores sunt, alterius tamen majoris orationis sunt præparatio quædam, præludium, & origo. Inter has illa prima est; quæ mane fit, quæ omnium diei totius operum velut fundamentum, & præparatio est, hanc porro hoc modo facies.

Primo: Profunda quadam cum reverentia gratias DEO ages, eumque adorabis, quod te

Superiore nocte pro sua bonitate incolumem conservavit: si quod vero ea durante peccatum commiseris, de eo eum veniam rogabis.

Secundo: Considera præsentem diem tibi natum esse, ut in eo futurum æternitatis diem lucreris firmumque propositum facito, ad hanc intentionem diem præsentem impendendi.

Tercio: Præexamina, & provide, quænam negotia, commercia, & quales occasiones DEO serviendi, quales item ejus offendendi tentationes, tam per choleram, & vanitatem, quam aliam quamlibet inordinationem tibi ea die possint occurrere: & sancta quadam animositate, & resolutione te præpara, ut quæcunque DEO serviendi, devotionisque tuæ promovendæ occurrere possunt media, exequaris, beneque impendas, contra vero debite effugas, oppugnes, & superes quodcunque contra salutem tuam, ac Divinam gloriam tendens occurrere potest impedimentum. Neque vero satis est, nude hoc propositum facere, sed & media ejusdem rite executioni mandandi præparanda, & disponenda sunt. Exempli gratia: Si me cum homine iracundo, & ad choleram propenso, aliquod negotium tractare debere prævideam, non solum proponam eum verbo non offendere, verum etiam benigna, & suavia ad eum præveniendum verba disponam, vel aliquem adhibebo, qui me in illo placando adjuvet; si prævideam,



occasionem mihi fore, ægroti alicujus visitandi, tempus, verba consolatoria, & subsidia, quæ illi adhibere debeo, disponam &c.

Quarto: Hoc factò, humilia te coram Deo, agnoscens, quod eorum, quæ deliberasti, & statuisti, tum ad malum fugiendum, tum ad bonum exequendum, nihil omnino per te ipsam, & ex te ipsa facere possis. Et tanquam, si cor tuum in manibus habeas, ipsum Divinæ Majestati, cum omnibus tuis bonis propositis offeras, ipsam rogans, ut in suam id protectionem admittere, & corroborare dignetur, quo in ejus obsequio, & famulatu feliciter progrediaris, idque per hæc, aut hujusmodi verba interiora: En Domine, hoc miserum, & inops cor, quod bonitate tua plures quidem bonos affectus, & proposita concepit: sed, ah! nimis quam debile, & imbecillum est ad bonum, quod desiderat, exequendum, & opere complendum, nisi cœlestem tuam ipse benedictionem illi communicates, quam hac de causa te, o clementissime Pater! rogo, idque per meritum passionis Filii tui dilectissimi, cujus honori diem hunc, & reliquum vitæ meæ tempus offero, & consecro. Invoca etiam beatissimæ Virginis, Angeli tui custodis & Sanctorum, ut hac in re tibi opitulentur, auxilium.

Sed omnes spirituales actiones breviter, & vivaciter fiant oportet, & quidem antequam

cubiculo egrediaris, si fieri potest; ut exercitii hujus adminiculo, quidquid die tota factura, divina benedictione irroretur. Rogo autem te, Philothea, ne ipsum unquam omitas, aut obliviscaris.

## CAPUT XI.

*De exercitio vespertino, deque examine conscientie.*

**Q**uemadmodum ante prandium tuum temporale, facies prandium spirituale, idque per meditationem; ita te & ante cœnam tuam, cœnulam quandam, aut saltem collationem devotam, & spiritualem facere oportet. Ergo paulo ante cœnam nonnihil tibi temporis, & otii suffurare, & coram DEO prostrata, & spiritu tuo ante JESUM Christum crucifixum (quem nuda quadam consideratione, & interiori oculo tibi præsentem finges) collecto, sopitum meditationis matutinæ ignem, per vivas, & ardentes aliquot aspirationes, humiliationes, & amorosas, quas ad Divinum hunc animæ tuæ Salvatorem evibraveris, elibrationes in corde tuo rursus exfuscita; vel illa puncta breviter repetendo, & velut ruminando, quæ in matutina meditatione plus tibi gustus attulere, vel alio quodam novo modo te excitando, prout tibi magis placebit.

Quod

Quod ad conscientiae examen, quod semper, antequam cubitum concedas, instituentium, spectat, nemo non novit, quoniam id modo sit faciendum.

Primo: Gratiae aguntur DEO, quod nos die illa sospites, & incolumes conservarit.

Secundo: Examinetur, quomodo per omnes diei horas nos gesserimus: utque hoc commodius, & facilius fiat, considerandum, ubinam, quibuscum, & quibus in negotiis fuerimus.

Tertio: Si quid bene actum esse comperitur, gratiae aguntur DEO; contra, si quod sit aut in cogitationibus, aut in verbis, aut in operibus delictum, venia a Divina Majestate petitur, cum proposito, & intentione prima id opportunitate confitendi, & serio vitam emendandi.

Quarto: Divinae providentiae corpus, animam, Ecclesiam, parentes, & notos commendamus; B. Virginem, Angelum Custodem, & Sanctos caeli cives rogamus, ut super nos, & pro nobis excubent; & benedictione DEI praemissa, ad quietem, quam nobis necessariam esse voluit, nos componimus.

Hoc porro exercitium non minus omittendum est, quam matutinum; per matutinum quippe animae tuae fenestras aperis, quo Sol Justitiae per easdem radios suos immittat: per vespertinum porro tenebris infernalibus easdem occludis.



## CAPUT XII.

*De recollectione, & quiete spirituali.*

**H**ic te, charissima Philothea, velim in consilio meo sequendo imprimis studiosam, & sedulam: hoc namque in articulo unum e certissimis profectus tui spiritualis mediis consistit.

Quam facere potes sapissime, spiritum tuum per diem DEO præsentem siste, idque uno e quatuor illis modis, quos tibi superius consignavi. Considera, quid faciat DEUS, & quid tu facias, & videbis, oculos ejus in te conversos, & perpetuo super te incomparabili quodam amore defixos. Dices ergo: Cur, o DEUS meus! ita te semper non intueor, sicut tu me intueris? cur tam sæpe de me, Domine, cogitas? & cur ego tam raro de te? ubinam sumus, anima mea? verus locus noster DEUS est, & ubinam nos agimus?

Sicut aves nidos in arboribus habent, in quos sese recipiunt, cum opus est, & cervidumos, & cunabula, sub quibus sese abdunt, & occulunt, dum umbram in æstivis calidibus captant: Sic, o Philothea! corda nostra aliquem sibi locum quotidie capiant, & feligant oportet, vel in monte Calvariæ, vel in vulneribus Salvatoris nostri, vel in alio quopiam loco ei vicino, in quem se in omnigenis

nis occasionibus recipiant, & ubi inter negotia exteriora sese oblectent, & recreent, ubique velut in propugnaculo quodam agant, quo se ab ingruentibus tentationibus tueantur. Beata illa erit anima, quæ Domino in veritate dicere poterit: Tu es mihi domus refugii, tutum meum propugnaculum, tectum in pluvia, & in æstu umbraculum.

Memineris ergo, Philothea, semper aliquot in cordis tui solitudine, & deserto construere receptacula, interea dum corporaliter medias inter conversationes, & negotia mundana versaris. Et mentalem hanc solitudinem nullo modo impedire possunt, tametsi pluri circum, & apud te versentur; non enim circum cor, sed corpus tuum duntaxat versantur, adeo, ut cor solum apud DEUM maneat. Atque hoc est exercitium, quod David Rex inter tot, quibus opprimebatur, regni negotia, usurpabat, uti sexcenties suis ipse in Psalmis de se testatur; ut, dum ait: *Ego Domine semper apud te, provideam Dominum in conspectu meo semper: Ad te levavi oculos meos, DEUS meus, qui habitas in Cœlis. Oculi mei semper ad Dominum.*

Ad hæc, conversationes ordinariæ ita seriæ non sunt, & prægnantes, ut non possimus subinde mentem recolligere, quo illam in Divinam illam solitudinem recludamus.

Parentes Sanctæ Catharinæ Senensis, cum ei omnem & loci, & temporis opportunitatem ad orandum, & meditandum abstulissent; Dominus ei inspiravit, ut oratoriolum quoddam internum suo sibi in corde construeret, intra quod se mentaliter recipiens, medios inter occupationum exteriorum strepitus sanctæ huic solitudini mentali vacare posset. Unde fiebat, ut, cum postea eam mundus oppugnabat, vexabat, nullum inde damnum, aut noxam reciperet; eo quod, inquietabat illa, intra conclave suum interius sese abderet, in quo cum Sponso suo Cœlesti se oblectabat. Hinc etiam exinde filiis suis spiritualibus consulebat, ut intra cor conclave quoddam secretum construerent, & intra illud subinde se reciperent.

Subinde igitur mentem tuam intra cor recollige, in quo ab omnibus hominibus sequestrata, corde animæ tuæ ad cor, cum DEO tuo agere possis, ut cum Davide dicas: *Vigilavi, similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio, & sicut passer solitarius in tecto.* Quæ verba, præter sensum litteralem (qui ostendit, magnum hunc Regem aliquot sibi horas feligere solitum, quibus in solitudine rerum spiritualium contemplationi vacaret) in sensu suo mystico tria egregia recollectionis genera, & velut tria eremitoria nobis exhibent, in quibus, ad  
imi-



imitationem, & exemplum Salvatoris, solitudinem nostram possumus exercere. Ipse quippe in monte Calvariæ similis fuit pellicano solitudinis, suo pullos suos mortuos sanguine ad vitam resuscitanti. In Nativitate vero sua, in stabulo illo deserto fuit, quasi nycticorax in domicilio, delicta & peccata nostra deplorans, & deflens. In die denique Ascensionis suæ, fuit ad instar passeris, in Cœlum (quod est mundi quodammodo rectum) se recipientis & evolantis. Et in tribus his locis, medias inter negotiorum turbas, & strepitum, nos recolligere, & recipere possumus. Beatus Elzearius Comes Arrianensis in Provincia, cum diutius a casta, & pia sua Delphina abfuisset, & ipsa per nuntium expressum, quem ad eum misit, de ejus valetudine quærivisset, hoc modo ei respondit: *Recte valeo, carissima conjux, si videre me cupis, quære me in vulnere lateris dulcissimi JESU nostri, ibi namque habito, & ibi me invenies, alibi me frustra quæsieris.* O equitem vere Christianum!

## CAPUT XIII.

*De aspirationibus, orationibus jaculatoriis, & bonis cogitationibus.*

**I**NTRA DEUM quis se recolligit, dum ad eum aspirat; & ad eum aspirat, ut intra eum in se recolligat: adeo, ut ipsa aspiratio ad DEUM,

& recollectio spiritualis sese mutuo producant, utraque autem a bonis nascantur cogitationibus. Sæpe ergo ad DEUM aspira, Philothea, idque per breves quasdam, sed ardentis cordis evibrationes, illius ergo pulchritudinem admirare, opemque implora: in spiritu ad crucis pedem te abjice; bonitatem ejus adora: sæpe eum de salute tua interroga, millies per diem animam tuam illi offer, interiores oculos tuos in benignitatem illius defige: manum tuam versus illum, uti parvulus ad patrem, extende, ut ipse te conducat, pone quoque eum super pectus & cor tuum, veluti suavissimum florum fasciculum, ac velut vexillum & signum quoddam in anima tua eum defige: & alia sexcenta diversorum cordis tui motuum genera facito, quo amorem DEI in te excites, & ad Divinum hunc Sponsum diligendum affectuose & tenere diligendum temetipsam extimules.

Hoc modo fiunt orationes jaculatoriæ, quas magnus Augustinus tam serio & impense piæ mulieri Probæ commendat; sic fiet, ut spiritus noster, Philothea, continuo DEI sui commercio, colloquio, & familiaritati intimæ sese applicans, omnes ejus perfectiones paulatim imbibat, & hauriat. Hoc porro exercitium in se difficile non est: etenim omnibus negotiis nostris, operibus & occupationibus, sine ullo eorum dispendio, commode inter-

mi-

misceri, & intertexti potest: quod tam in recollectione spirituali, quam in hisce ejaculationibus interioribus, non nisi breves & parvæ quædam diversiones fiant, a quibus ea, quæ agimus, nullo modo impediuntur, quin imo mirifice etiam promoventur. Viator, pauxillum vini ad cor suum recreandum, & os refocillandum sumens, tametsi paululum subsistat, viam suam tamen propterea non interrumpit, imo vero novas ad celerius, & facilius eandem perficiendam, vires colligit, non aliter subsistens, quam ut expeditius ambulet.

Multi scriptores multas aspirationes vocales collegere, quæ cæte cum primis bonæ & utiles sunt; sed, me consulente, ad nulla certa verba te adstringes; verum aut corde, aut ore, illa proferes, quæ tibi amor ex tempore suggeret: is enim tot, quot voles, tibi suggeret. Tametsi non ignorem, quædam esse verba, quæ peculiarem quandam ad cordi hac in re satisfaciendum vim habent; uti sunt ejaculationes illæ in Psalmis Davidicis adeo frequentes & crebræ, diversæ quoque nominis JESU invocationes, & amoris illæ significationes & indicia, quas Canticum Canticorum passim præfert, & spirat. Huic quoque intento deserviunt cantiones spirituales, dummodo aliqua cum attentione canantur.

Denique, sicut illi, qui amore quodam humano & naturali aliquid amant, cogitatione



pene semper in rem amatam feruntur, ac toto cordis affectu in eandem rapiuntur, & nunquam non in laudes ejusdem prorumpunt, & esto ab eadem corpore absint, nunquam tamen occasionem, amorem, & passionem suam per litteras, quas scribunt, testandi omittunt, imo nullam esse patiuntur arborem, cujus cortici nomen rei amatæ non inscribant. Ita quicumque DEUM diligunt, nunquam de illo cogitare desinunt, semper illum respirant, & ad illum aspirant, continuo de illo loquuntur, & si fieri posset, omnium hominum, qui in mundo sunt, pectoribus Sacrum & Sanctum JESU nomen vellent insculpere.

Atque ad hoc ipsum etiam omnia creata eos invitant, cum nulla sit creatura, quæ non dilecti sui laudes ipsis annuntiet; & (uti post S. Antonium magnus Augustinus ait) quidquid in mundo est, muta quadam lingua, sed admodum intelligibili, de amore ipsorum bene loquatur; denique, quidquid in orbe est, bonas in ipsis cogitationes causetur, e quibus deinde permultæ in DEUM evibrationes, & piæ mentis aspirationes enascuntur. En tibi aliquot harum exempla. Sanctus Gregorius Nazianzenus, uti de se ipso ad populum suum ait, in littore maris obambulans, considerabat quomodo marini fluctus, in littus sese exonerantes, conchyliam, conchas, caules herbarum, ostreola, & alias id genus minutias,  
 quas

quas mare ejiciebat, &, ut ita dicam, in lit-  
tus expuebat, post se relinquerent; & quo-  
modo mare ipsum deinde, per alios fluctus su-  
pervenientes, partem illorum resorberet, &  
rursus ad se attraheret, scopulis interim vicin-  
is firmis & immobilibus consistentibus, esto  
violenter & assidue ab undis tunderentur, &  
ferirentur. Quo viso, cogitare secum cœ-  
pit, debiles adinstar conchyliorum, cochlea-  
rum, & caulium herbarum, modo ad affli-  
ctionem, modo ad consolationem, prout for-  
tunæ fluctus, & undæ impellunt, ferri rapi-  
que: sed generosos & viriles animos ad omnes  
fortunæ insultus & fluctus fixos, & immobi-  
les permanere; & ab hac cogitatione in illa  
Davidis suspiria & aspirationes prorumperebat:  
*Salva me Domine; quia intraverunt aquæ usque  
ad animam meam, libera me Domine de profundis  
aquarum. Veni in altitudinem maris, & tempe-  
stas demersit me.* Tunc quippe ipse in afflictio-  
ne agebat, eo quod Maximus iniqua invasio-  
ne Episcopatum suum usurpasset.

S. Fulgentius Ruspensis Episcopus, cum No-  
bilitatis Romanæ, quem Theodoricus Gotho-  
rum Rex indixerat, conventui interesset, vi-  
deretque tot procerum, qui ordine quique suo  
confederant, splendorem & decorem. *Quam,*  
*inquit, DEUS bone! pulchra sit oportet Cœlestis*  
*Jerusalem, cum Roma terrestris tanta pompa &*  
*fulgore resplendeat? Et si hoc in mundo tantum*  
splen-

*Splendoris detur amatoribus vanitatis, quæ gloria reservetur oportet in altero contemplatoribus veritatis?*

Dicitur autem S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis (a cujus incunabulis & natalibus permultum decoris & gloriæ montibus nostris accessit) in hac bonarum cogitationum praxi cum primis excelluisse. Contigit aliquando, lepusculum quendam, a canibus insequentibus pressum, sub Sancti hujus Præfulis, (qui tum quendam in locum forte proficiscebatur) equum sese, velut in asylum, quod imminens mortis periculum ei suggererat, recipere; canes autem circumsecus allatrantes, immunitatem loci, ad quem præda sua confugerat, minime ausos fuisse violare. Extraordinarium certe & novum hoc spectaculum, omnibus viæ comitibus risum movit; quousque magnus Anselmus, lacrymans & ingemiscens: Vos, inquit, rideris, sed misella bestia non ridet. Pari modo animæ exagitæ, & per varios anfractus in omni flagitiorum genere male habitæ, inimici eam in mortis angustiis potissime expectant, quo eam ibi rapiant, & devorent. Unde ipsa plane consternata & expallescens, undequaque auxilium, solatium, & refugium aliquod conquirat: quod si invenire nequeat, inimici ei insultant, & exsibilant, & hoc ille dicto abiit suspirans, & gemens.

Cum



Cum Constantinus Magnus honorificas litteras ad Sanctum Antonium misisset, Religiosi, qui aderant, hoc cognito maximopere mirabantur. Quibus ille: *Miramini, Regem homini scribere? miremini potius, quod DEUS immortalis & eternus suam mortalibus legem scripserit, imo vero, quod in persona filii sui ore ad os iis sit locutus.*

S. Franciscus quodam tempore unicam & solam ovem multos inter hircos conspicatus: Unde, inquit socio suo, *obsecro quomodo misella illa ovicula placide & mansuete inter illos hircos agat, sic Redemptor noster JESUS mansuetus & humilis inter Phariseos agebat.* Alias agnellum quendam a porco devoratum cernens: *Ab miselle agne! ajebat plorans, quam tu ad vivum Salvatoris mei mortem representas.*

Illustris ille ætatis nostræ Vir, Franciscus Borgia, cum adhuc Gandiæ Dux esset, ad venandum exiens sexcentos pios devotosque conceptus inter venandum efformabat. *Mirabar, ait ipse postea, quomodo, & quam prompte falcones ad venatoris manum redeant, atque oculos sibi velari, perticæque se realligari patiantur, homines vero voci Divinæ adeo rebelles sint, & contumaces.*

S. Basilius ait, rosam e spinis enascentem, hanc hominibus lectionem prælegere: *Quidquid hoc in mundo, o homines! suavissimum, & jucundissimum est, tristitia quadam mistum, & per-*  
*fusum*

fusum est: nam nihil ibi omnis doloris est expers, ipsaque amaritudo atque tristitia lætitiæ semper agnata est; sic matrimonio viduitas, fœcunditati cura, gloriæ ignominia, honoribus impensæ, deliciis fastidium, sanitati morbus. Pulcher quidem, inquit pius hic Vir, flos rosa est, at magnam ille mihi tristitiam causatur, dum peccati mihi mei memoriam refricat, ob quod terra ad spinas, & tribulos proferendos damnata est.

Pia quædam anima, animum quendam serenam in nocte contemplan, cœlumque in eo cum stellis suis effigiatum cernens, aiebat: *Hæ ipsæ stellæ, Domine, sub pedibus meis erunt, tunc, cum me intra Sancta Tabernacula tua receperis: & jicanti stellæ Cœli in terra expresse repræsésentantur, sic homines terræ in cœlis vivo Divinæ charitatis fonte exprimuntur.*

Alius quis videns fluvium rapi volvique, exclamabat: *Non prius anima mea requiem habebit, quam in Divinitatis mare, quæ ejus origo est, absorpta sit.* Et S. Francisca, placidum quendam rivulum, in cujus ripa ad orandum genua flexerat, considerans, in mentis excessum raptâ fuit, identidem verba illa submissa voce apud semetipsam repetens: *Sic DEI mei gratia dulciter placideque rivuli hujus in morem, in animam influit.*

Alius, qui arbores floribus coopertas undique cernens, ingemiscens aiebat: *Cur ego solus in DEI Ecclesiæ horto florum expers sum? Alius*  
pul-

pullos gallinaceos sub matris alis collectos conspiciens, *sub umbra alarum tuarum*, aiebat, *Domine protege me.* Alius Heliotropium florem videns: *Quandonam*, exclamabat, *DEUS meus, anima mea bonitatis tuæ ductum attractionemque sequetur?* Et alius violas flammeas hortenses (vulgo flammulas, vocant) cernens, oculis quidem gratas, sed odoris expertes: *Tales, inquit, sunt cogitationes meæ, quæ bona quidem dicunt, sed nullum agunt, aut operantur.*

Vide ergo, Philothea, quomodo ex omni illa rerum varietate, quæ in hac vita mortali nobis occurrit, quæcunque demum ea sit, bonas elicere cogitationes sanctasque ejaculationes mentis possimus. Miseri profecto illi, qui creaturas a suo creatore divellunt, quo eas in peccatum convertant: Beati autem illi, qui easdem in Creatoris sui gloriam convertunt, earumque vanitatem ad veritatis honorem impendunt. Soleo, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *omnia in commodum meum spirituale referre.* Legito pium illud Epitaphium, quod S. Paulæ S. Hieronymus conscripsit, & ipsum plurimis sanctis aspirationibus, & piis conceptibus, quos omni prope in occasione ipsa efformabat, undiquaque conspersum videbis.

Porro, in hoc recollectionis spiritualis, & orationum jaculatoriarum exercitio magna devotionis pars consistit, ipsumque omnium  
alia-



aliarum orationum defectum supplere potest, illius vero defectus & omissio nulla prope alia ratione potest reparari. Sine illo quippe vitæ contemplativæ non bene quis se dare, & activæ non nisi ægre admodum potest; & sine illo, quies omnis non nisi otiositas est, labor vero tantum impedimentum & intricatio. Quapropter te adhortor, ut serio, & ex toto corde id complectaris, neque unquam ipsum deferas.

## CAPUT XIV.

*De Sanctissimo Missæ Sacrificio, & quomodo ipsum audiendum sit.*

**N**ondum tibi de exercitiorum spiritualium sole & principe locutus sum, de Sanctissimo, Sacratissimo, & Divinissimo, inquam, Missæ Sacrificio, & Sacramento: Hoc quippe Religionis Christianæ centrum est, devotionis cor, pietatis anima, mysterium ineffabile, quodque Divinæ charitatis abyssum in se comprehendit, ac per quod se DEUS ipse realiter nobis applicans, gratias & dona sua nobis magnifice communicat.

Secundo: Oratio in Divini hujus Sacrificii unione facta, incredibilem certe vim habet: adeo, ut anima, illius adminiculo, cœlestibus donis & beneficiis quam abundantissime compleatur, veluti super dilectum suum in-

nixa

nixa; qui spiritualibus odorem & suavitatibus usque adeo eam adimplet, ut virgulæ cuidam fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii concinnatæ (uti in Canticis dicitur) similis esse videatur.

Tertio: Omni ergo studio operam da, ut Sacrificio Missæ quotidie intersis, ut una cum Sacerdote Redemptoris tui Sacrificium DEO Patri, pro te, & pro universa Ecclesia offeras. Semper, ut scribit S. Joannes Chrysostomus, infiniti Angeli ei præsentés adsunt, ut Sanctum hoc Mysterium honorent, cumque nos una cum ipsis, & eadem intentione, præsentés ei adsumus, e tali societate, & contubernio non possumus nisi maximam benignorum gratiarum influxuum copiam recipere. Ecclesiæ tam triumphantis, quam militantis chori, Domino in Divina hac actione sese conjungunt, eumque stipant, ut una cum ipso, in ipso, & per ipsum cor DEI Patris rapiant, ejusque misericordiam totam ad nos commiscere faciant. Ecquæ animæ est felicitas, quod affectus suos pro adeo pretioso & desiderabili bono devote contribuat.

Quarto: Si forte necessitate aliqua prægnante impedita, celebrationi summi hujus & Divini Sacrificii realiter præsens adesse nequeas, animum tamen & cor tuum huc referas oportet, ut spiritualiter intersis. Aliqua ergo hora

matutina, confer te in spiritu (si aliter facere non possis) ad templum, intentionem tuam cum omnium Christianorum intentionibus conjunge, & eosdem actus interiores elice in loco, in quo versaris, quos eliceres, si realiter Sancto Missæ Officio aliquo in templo interesses.

Quinto: Porro, & prout oportet, Sanctum Sacrificium Missæ audias, vel realiter, vel mentaliter. Primo, jam inde ab initio Introitus, usque dum Sacerdos ad Altare accesserit, una cum ipso te præpara: facies hoc, si in DEI præsentia te listas, indignitatem tuam agnoscas, & peccatorum tuorum veniam roges.

Secundo: Ab eo tempore, quo Sacerdos ad Altare accessit, usque ad Evangelium, considera Redemptoris nostri adventum, & vitam in hoc mundo, idque simplici & generali quadam consideratione.

Tertio: Ab Evangelio, usque ad Offertorium, considera Domini prædicationem, & protestare te in fide & obedientia sancti verbi, & in sanctæ Ecclesiæ Catholicæ unione vivere, & mori velle.

Quarto: Ab initio Offertorii, usque ad recitationem *Pater noster*, Mysteriis & Passioni Dominicæ, quæ actualiter & essentialiter in hoc Sacro-Sancto Sacrificio repræsentantur, recogitandis cor tuum applica; quod una cum Sacerdote, & reliquo populo, DEO Patri,  
ad



ad ejus honorem & gloriam, & ad utilitatem & salutem tuam offeres.

Quinto : Jam inde a *Pater noster*, usque ad finem communionis, sexcenta cordialiter desideria excitare conare, ardentissime amore æterno Salvatori nostro in æternum conjugii, & uniri desiderans.

Sexto : Jam inde a communione, usque ad finem Sacri, gratias Divinæ ejus Majestati, ob ipsius incarnationem, vitam, mortem, passionem, nec non amorem, quem nobis in Sancto hoc Sacrificio testatur, age, eumque per illud obtestare, ut semper tibi, parentibus, amicis tuis, & universæ Ecclesiæ propitius sit, teque ex toto corde humilians, Divinam benedictionem, quam tibi Dominus per Ministrum suum impertitur, devote recipere.

At, si tempore Sacri meditationem iis de mysteriis, quæ quotidie ordine dierum meditaris, instituere vis, opus non erit, ut particularibus his actibus practicandis te ipsam distrahas, & divertas : sed satis erit, quod intentionem tuam initio ad hoc dirigas, ut Sanctum hoc Sacrificium per meditationis & orationis tuæ exercitium adorare, & offerre cupias: cum in qualibet meditatione prædicti actus aut expresse, aut tacite, & virtualiter contineantur.

## CAPUT XV.

*De aliis exercitiis publicis, & communibus.*

**P**RÆter hæc, diebus Festis, & dominicis, horarum Canoniarum, & Vesperarum officio interesse te oportet, Philothea, quantum quidem per otium, & commoditatem tuam licebit, hi namque dies specialiter Deo dedicati, & sacri sunt, & in iis plures ad ejus honorem, & gloriam actus usurpandi sunt, quam in aliis. Hoc pacto quoque sexcentas devotionis dulcedines, & delicias senties, uti olim S. Augustinus sensit: etenim hic in Confessionibus suis scribit, se sub initium conversionis, cum divina officia audiret, tanta introrsum animi dulcedine perfundi solitum, ut cor ei quodammodo colliquesceret, & oculi lachrymis devotionis innatarent. Tum vero, quod (ut semel id dicam, & non sit opus repetere) semper plus boni, & consolationis homo e publicis Ecclesiæ officiis, quam ex aliis particularibus actibus soleat percipere, cum DEUS ipse jusserit, ut semper publica privatis, & peculiaribus communia præferrentur.

Libenter Sodalitatibus loci, in quo agis, ascribi velis iis præsertim, quarum exercitia, & instituta plus fructus, & boni exempli adferunt: hoc namque pacto obedientiæ actum DEO gratissimum exercebis: nam licet sode-

lita-

lirates speciali ab eo præcepto præscriptæ, & mandatæ non sint, ab Ecclesia tamen commendantur: quæ declarare cupiens, quam sibi gratum sit, plures in easdem nomina dare, Sodalibus earum, & membris, indulgentias varias, & alia quædam privilegia impertiri solet. Ad hæc semper maximam charitatem redolet, cum multis simul concurrere, & aliis ad bona sua desideria executioni mandanda cooperari, & auxiliari. Et quanquam fieri possit, ut tam bona quis exercitia separatim faciat, atque in Sodalitatibus simul junctimque peraguntur, imo esto, fortassis longe illi gratius & suavius sit, eadem privatim, & sibi soli facere, per hanc tamen operum nostrorum bonorum, quam una cum fratribus, & proximis nostris facimus, unionem & collationem DEUS Opt. Max. magis glorificatur.

Idem de omnibus precibus, & devotionibus publicis censeo, in quibus, quantum quidem nobis possibile est, bono nostro exemplo proximum ædificare, & affectum nostrum in unicam DEI gloriam, & communem, ac publicam intentionem debemus dirigere.

## CAPUT XVI.

*Sanctos honorandos, & invocandos esse.*

CUM DEUS Opt. Max. per Angelos suos sæpe suas inspirationes nobis immittat,



nostrum est vicissim etiam nostras aspirationes ad illum sæpe horum nuntiorum opera remittere, Sanctæ defunctorum animæ, quæ in Cœlis cum Angelis versantur, & sicuti Dominus in Evangelio ait: Sunt sicuti Angeli DEI, idem quoque nobis inspirandi, & per Sanctas suas orationes pro nobis aspirandi officium subeunt.

Jungamus, mea Philothea, nostra cum cœlestibus illis Spiritibus, & beatis animabus corda: & uti parvæ Philomelæ junctæ matribus cantare discunt; ita per sacrum illud, quod cum Sanctis inibimus commercium, melius & orare, & divinas laudes cantare addiscemus. *Cantabo, & psallam*, inquit Psalmista, *in conspectu Angelorum.*

Speciali quodam amore, & honore Sacram & gloriosam Virginem Mariam honora, reverere, & cole! ipsa quippe supremi Patris nostri Mater est, ac proinde avia nostra. Ad illam ergo confugiamus, & velut parvuli ejus, perfecta quadam cum fiducia, omni momento, & omnibus in casibus, illius nos in gremium recipiamus: Benignissimam hanc Matrem invocemus, amorem ejus maternum imploremus, & virtutes illius imitari satagentes, vere filiali quodam affectu, & corde erga ipsam feramur.

Angelis quoque valde familiaris esto, & eos frequenter vitæ tuæ, & actionibus, tamen  
in-

invisibiliter, præsentis considera: ante omnes vero præcipue dilige, & reverere Angelum Diocesanos, in qua habitas, præsidem, uti & Angelos eorum, inter quos & quibuscumque agis, & præcipue tuum Angelum Custodem, & Tutelarem, eos ergo sæpe invoca, lauda, & honora, atque in omnibus negotiis tuis, tam spiritualibus, quam temporalibus, illorum opem, & auxilium implora, ut tuis illi intentionibus cooperentur.

Magnus ille Pater Petrus Faber, primus in Sancta Societate Jesu Sacerdos, primus Concionator, primus Theologiæ Doctor, & primus S. Ignatii Fundatoris ejusdem socius, quodam tempore e Germania, in qua multat ad divinam gloriam spectantia obsequia præstitit, veniens, & hanc diœcesin, in qua natus fuerat, pertransiens, narrabat, se multis hæreticorum provinciis peragratis, plurimas inde sensisse consolationes, quod singulorum parœciarum, quas ingrediebatur, Angelos protectores & tutores, in ingressu illarum, salutasset; quos sibi notabiliter, & perceptibiliter faventes, & propitios fuisse, est expertus: tum in ipso a variis hæreticorum insidiis protegendo, tum in plurimis animabus illi emolliendis, & facilius ad doctrinam salutarem recipiendam reddendis. Id autem tanta cum efficacia, & energia aliis commendabat, ut matrona quædam, tum quidem ad-

huc juvenis, cum id illum dicentem audisset, id ipsum jam quadriennio, id est, post sexaginta, ex quo id audisset, annos, insigni cum sensu nobis referret. Incredibili certe cum gaudio quoddam anno superiore, eo in loco, in quo Beatum hunc Virum Dominus nasci fecit, in parvo, inquam, pago Vilareto, in asperrimis agri nostri montibus sito, altare consecravi.

Porro tibi selige aliquos Sanctos particulares, quorum vitam sequi melius, & imitari possis, & quorum intercessione melius, & particularius te adjuvari posse confidis. Ille autem, cujus nomen geris, particulatim tibi jam inde a Baptismo ad cultum assignatus.

## CAPUT XVII.

*Quomodo verbum DEI audire, & legere oporteat.*

**S**ingularem habere affectum erga verbum DEI debes; sive ipsum in familiari cum amicis tuis spiritualibus colloquio, sive in concionibus pro suggestu audias, semper ipsum attente, & reverenter audi, & aliquam ex illo utilitatem, & fructum elice, nec ipsum in terram cadere, & effundi sinas, & velut pretiosum quoddam balsamum in cor tuum recipe: exemplo nimirum Deiparæ Virginis, quæ quæcunque ad Filii sui laudem, & præconium verba dicebantur, sedulo in corde suo con-



conservabat. Et noris, Dominum ita omnia verba, quæ illi in precibus nostris proferimus, observare, & colligere, prout vicissim ipsi colligimus illa, quæ nobis ipse per os Concionatoris eloquitur.

Habe semper penes te librum aliquem spiritualem, uti sunt libelli S. Bonaventuræ, Joan. Gersonis, Dionysii Carthusiani, Lud. Blossii Granatensis, Did. Stellæ, Ariæ, Pinelli, Lud. de Ponte, Joan. Avilæ, Lucta spiritualis, Confessiones S. Augustini, Epistolæ S. Hieronymi, & similes, & quotidie aliquid in iis magna cum devotione lege, perinde ac si litteras legeres, a Sanctis tibi de Cœlo missas, quibus tibi viam cœlum versus ostenderent, teque ad eodem pergendum animarent. Lege præterea historias, & vitas Sanctorum, in quibus velut in speculo, ipsam vitæ Christianæ imaginem videbis, ex eorumque operibus & actionibus, pro statu & vocatione tua, rem tuam facere stude: nam esto multæ Sanctorum actiones imitari nequeant, & inimitabiles sint ab iis, qui in mundo vivunt; omnes tamen imitari queunt, aut de prope, & omnino, aut de longe, & ex parte. Solitudinem quippe Pauli primi Eremitæ imitari aliquatenus potes in recollectionibus tuis spiritualibus, quin & personalibus, de quibus, & postea agemus, & supra jam egimus. S. Francisci paupertatem, per eas pra-

xes, & exercitia paupertatis, quas suo loco præscribemus, & sic de aliis.

Inter ipsas autem historias quædam majus ad vitæ nostræ directionem gubernationem-que lumen suppeditant, quam aliæ, tales sunt vitæ S. Matris Theresiæ de Jesu, quæ in hoc singularis cumprimis, & admirabilis est, vitæ primorum Patrum e Societate Jesu, S. Caroli Borromæi Archi-Episcopi Mediolanensis, S. Ludovici, S. Bernardi, Chronica Fratrum Minorum, & aliæ id genus, aliæ vero admirandæ magis quam imitandæ sunt, uti S. Mariæ Ægyptiæ, S. Simeonis Stilitis, SS. Catharinarum Senensis & Genuensis, S. Angelæ, & aliæ hujusmodi; quæ tamen nihilominus magnum quendam in genere sancti amoris divini gustum legentibus dare solent.

## CAPUT XVIII.

*Quomodo inspirationes Divinæ admittendæ sint.*

**I**nspirationes voco, omnes internas attractiones, motus, coargutiones, & remorsus, lumina quoque, & cognitiones, quas DEUS suis in benedictionibus, paterna quadam cura & amore cor nostrum præveniens, in nobis incitat, quo nos ad sanctas virtutes, amorem cœlestem, bona proposita, denique ad omnia, quæ nos ad bonum æternum aliquo modo conducunt, excitet, expergeficiat,

alli-

alliciat, & impellat. Atque hoc est, quod Sponsus in Canticis vocat, ad ostium stare, & pulsare, loqui ad cor Sponsæ, eam dormientem excitare, vocare, & absentem conquirere; hoc item intelligit, dum eam ad mel suum, atque ad poma & fructus in horto suo colligenda, & ad cantandum, ut vox ejus dulcis in auribus suis sonet, invitat.

Ad plenum & absolutum matrimonii contractum, tres ex parte puellæ, quam parentes elocare volunt, actiones interveniant oportet. Primo namque futurus conjux ei proponitur; deinde ipsa eum sibi placere dicere debet; tertio, consensum in eundem dat. Sic DEUS Opt. Max. aliquem magnæ veritatis actum in nobis, per nos, & nobiscum facere volens; primo, sua nobis inspiratione eum proponit; secundo, nos eum ratum habemus; tertio, assensum præbemus. Nam sicuti tres sunt gradus, quibus ad peccatum descenditur, tentatio nimirum, delectatio, & consensus: sic & tres sunt, quibus ad virtutem ascenditur, inspiratio scilicet, quæ tentationi opponitur, in inspirata re delectatio, quæ delectationi in malum objecta est; & in inspirationem consensus, qui consensui in tentationem contrarius est.

Tametsi inspiratio toto vitæ nostræ duraret tempore, non propterea tamen DEO vel hillum placeremus, si ea minime delectemur;  
imo



imo vero Divina ejus Majestas gravissime indignaretur, & offenderetur, uti indignatus est olim adversus Israëlitas, quibus quadraginta ipsis annis inspiratione sua proximus fuit (uti ipsemet testatur) identidem eos, ut se converterent, incitans, & urgens; ipsi vero nunquam ei bene monenti auscultare voluere: quibus proinde juravit in ira sua, quod non introirent in requiem suam. Quemadmodum Nobilis aliquis procius, qui longo tempore per omne obsequiorum, & meritorum genus, puellæ alicujus favorem & amorem sibi comparare studuisset, plene planeque officio suo defunctus dici posset, esto ipsa, post hæc omnia, nullatenus assensum in matrimonium, quod is spectat, dare velit.

Ipsa, quæ ex Divinis inspirationibus capitur, delectatione insignem ad Divinam gloriam progressum facimus, & jam tum per illam Divinæ ejus Majestati placere incipimus, nam tametsi illa delectatio nondum plenus sit consensus, aliqua tamen ad eundem via, & dispositio est. Ad hæc, bonum signum, & cumprimis utile est, verbi DEI auditione delectari; hoc namque velut inspiratio quædam externa est: ut & bonum Deoque cumprimis gratum est, interna inspiratione delectari. De hac namque delectatione loquitur Sponsa Sacra, dum ait: *Anima mea liquefacta est, dum dilectus meus locutus est.* Nobili quoque illi  
tum

tum satis superque puella, quam procuratur, satisfacit, & placet, dum quæcunque ei præstat officia & obsequia, grata illi esse, & placere conspicit.

At consensus actum bonum tandem in se perficit: si enim & inspirationem sentiamus, & ex eadem quoque voluptatem capiamus; nihilominus postea consensum præstare DEO nolimus, certe quam ingratißimi sumus, & Divinam ejus Majestatem quam maxime offendimus; nam majorem tunc contemptum præferre videmur. Sic namque in Canticis Sponsæ contigit: licet enim dilecti sui vox sancta quadam voluptate cor ejus affecisset; ostium tamen ei non adaperiebat, sed satis frivola se excusatione purgabat: unde Sponsus, merito indignatus pertransit, eamque deserit, sic nobilis ille procus, si postquam diu puellam ambiisset, & obsequiis quoque suis illi placuisset, tandem adhuc ab ea repudiaretur, & vilipenderetur, longe majorem indignandi, & stomachandi occasionem haberet, quam si petitio & procuratio sua rata habita non fuisset, suaque obsequia minime placuissent.

Quapropter, Philothea, firmiter proponas oportet omnes, quas DEUS tibi facere dignabitur inspirationes, dignanter & bono corde acceptare, easque, dum tibi fient, ceu Regis Cœlestis, tecum matrimonium inire, & contrahere desiderantis, legatos & nuntios ad-

mit-

mitte. Propositiones & postulata earum benigne auscultata, amorem, ex quo tibi inspiratio fit, perpende, sanctamque inspirationem amanter amplectere.

Consensu itaque, sed pleno, amoroso, & constanti, sanctæ inspirationi consentias: hoc enim pacto fiet, ut DEUS, cui nunquam satisfacere potes, satis sibi factum, ob affectum tuum putet. At priusquam inspirationibus de magni momenti, & extraordinariis rebus consensum & assensum præstes, ne decipiaris, directorem & Patrem tuum spirituales semper consule: ut examinet nimirum, utrum inspiratio vera sit, an falsa. Etenim inimicus animam ad inspirationibus consentiendum facilem & promptam videns; sæpe ei falsas, ad eam decipiendam, proponit: nunquam vero eam decipiet, quamdiu in spiritu humilitatis Directori suo obtemperabit, ejusque ductum sequetur.

Consensu jam præstito, summa cum promptitudine & diligentia rem propositam affectui mandare, & inspirationem opere ipso exequi necesse est: hoc namque veræ virtutis summa est, & complementum, consensum namque in animo habere, & ad effectum, & rem ejusdem non venire, perinde foret, atque vineam aliquam plantare, ac nolle, ut ea uvas proferat.

Porro, ad hæc omnia incredibiliter conducit, rite, & prout oportet, matutinum exerci-



citium, nec non recollectionem spiritualem, de quibus jam ante locutus sum, praticare: hoc namque modo præparamus nos, ad præparationis non generalis solum, sed & particularis, bonum faciendum.

## CAPUT XIX.

### *De Sancta Confessione.*

**P**oenitentia, & Confessionis Sacramentum ad hoc Dominus Ecclesiæ suæ reliquit, ut quoties nos iniquitates commaculabunt, & deturpabunt, illas in eo eluamus. Noli ergo, mea Philothea pati, ut cor tuum peccato diu infectum maneat, cum remedium præsens, & facile ad manum habeas. Leæna, cum a Leopardo oppressa fuit, quam citissime sese in profuente ablutum it, quo foetorem, qui sibi ex illa copula adhæsit, hac ratione tollat, ne veniens Leo, ipsumque olfaciens offendatur & irritetur. Sic anima, quæ peccato consensit, sui ipsius concipere horrorem, & se quam promptissime debet emundare, idque ob respectum, & reverentiam, quam divinæ Majestatis oculis debet. Sed cur, obsecro, morte spirituali mori velimus, cum tam singulari, & præsens remedium habeamus?

Humiliter ergo & devote quot hebdomadis confitere, & si fieri potest, quoties ad Sacram Communionem accedis, tametsi nul-

lum

lum peccati alicujus mortalis in conscientia tua remorsum sentias: etenim per confessionem, quam institues, non solum venialium peccatorum, quæ confiteberis, absolutionem, sed & incredibile ad eadem in posterum evitanda robur recipies, uti & ingens ad eadem bene discernenda lumen, nec non abundantem gratiam, ad omnem jacturam ac dispendium, quam tibi attulerant, reparandam. Ad hæc humilitatis, & obedientiæ, candoris, & charitatis virtutem exercebis; & plures in solo hoc confessionis actu virtutes, quam in alio quocunque usurpabis.

Semper tibi ea, quæ confiteberis peccata (quantumcunque parva sint) vere displiceant, firmumque concipe propositum, eadem in posterum serio corrigendi. Multi e consuetudine quadam, & velut pro forma, nullo modo de emendatione vitæ suæ cogitantes, peccata sua venialia confitentur: & hi quoad vivunt, iisdem infecti, & inquinati manent: itaque fit, ut bonorum & fructuum spiritualium multorum jacturam faciant. Si ergo mentitam te esse confitearis, tamen si nullum proximo e mendacio tuo secutum sit damnum; aut aliquod verbum inordinatum locutam, aut nimium lusisse; pœniteat te, firmumque te emendandi propositum concipe. Etenim abusus & error est, peccatum aliquod, sive mortale, sive veniale, confiteri, & nolle se

se ab eo expedire, cum non ob alium quam hunc finem confessio sit instituta.

Nec satis est, accusationes illas superfluas, & generales facere, quas multi ordinatim, & seriatim faciunt, dicentes: non dilexi DEUM tantum, quantum debebam; non oravi ea devotione, qua orare oportuit; non dilexi, aut complexus sum proximum, prout debebam; non recepi Sacramenta ea reverentia, qua debebam; & alia hujusmodi. Ratio est, quod hæc dicendo, nihil dictura sis particulare, e quo Confessarius conscientiaæ tuæ statum perspectum & exploratum habeat: idem quippe dicere possunt omnes, qui in cælo sunt Sancti, & qui in terra homines, si confessionem instituerent. Vide ergo, quæ te privatim causa moveat, ut has accusationes tui facias; quam ubi detexeris, & videris, te defectus commissi accusa, idque plane, simpliciter, & nude. Exempli causa: Accusa te, quod proximum non eo, quo oportuit, amore sis prosecuta; id ideo forsan factum est, quod aliquis pauperis in summa necessitate constituti, quem facili negotio juvare, & consolari poteras, miserta non sis, nec ullam ejus curam habueris. Sed immisericordiæ hujus particularis te accusa, dicens: Videns pauperem aliquem, inopia summa oppressum, eum non juvi, prout quidem poteram, vel e negligentia, vel ex inclementia, vel e contemptu,

I

pro-



prout defectus hujus causam, & occasionem fuisse deprehendes. Pari modo, ne te accusas, quod DEUM ea devotione non oraris, qua quidem deberes: at dic simpliciter, & aperte, si voluntarias in oratione distractiones habueris, aut commodum locum, tempus, & corporis situm, ad attentionem in oratione habendam necessariam, captare neglexeris, prout te hic deliquisse comperies, generalem illam accusationem non afferendo, quæ in confessione ad nihil omnino prodest, & frustra est.

Nec satis tibi sit, peccata venialia quoad factum ipsum confiteri, sed & causam, motivumque, qua ad eadem committenda fuisti inducenda, expone. Exempli gratia: satis tibi non sit dicere, esse te, etsi sine ullius dispendio, mentitam; sed adde, an id e vana gloria, ut te scilicet laudares, & excusares; an vero e vano gaudio, vel pertinacia feceris. Si in lusu deliqueris, explica, an id feceris præ lucrari cupidine, an, quod voluptatem e conversatione captaris, &c.

Adjunge præterea, an diu in malo tuo hæseris, etenim temporis diuturnitas adauget plerumque peccatum non mediocriter, cum magnum sit, inter vanitatem quandam transitoriam, quæ non nisi ad quadrantis horæ spatium in animo nostro manserit: & eam, quæ integrum per diem, aut biduum, aut

tri-

triduum, cor nostrum occuparit, discrimen ergo, & factum, & motivum, & diuturnitas peccatorum nostrorum aperienda est. Nam esto, communiter in peccatorum venialium explicatione usque adeo exactos, & scrupulosos nos non esse oporteat, ino vero absolute non teneamur, eadem confiteri; qui tamen animas suas bene expurgare volunt, quo melius ad sanctam devotionem pertingant, seduli & accurati sint oportet, ad malum suum, quantumlibet parvum id sit, (a quo curari, & sanari cupiunt) medico suo spiritali integre & sincere patefaciendum.

Ne vereare, dicere id, quod necessario dicendum est, quo peccati tui qualitas bene perfecteque intelligatur: uti est, verbi gratia, occasio, & causa, qua ad alicui irascendum mota fuisti, aut cur alicujus peccatum toleraris, aut ipsum reprehendere neglexeris. Exempli causa, aliquis mihi usque adeo non placens, leve aliquod mihi verbum per jocum dicet; ego vero id in malam partem accipiam, & ob id illi indignabor. Si quis alius, qui mihi placuisset, aliud multo asperius dixisset, bonam id in partem accepissem. Itaque inter confitendum non verebor dicere: protuli verba indignationis in aliquem, in malam partem accipiens aliquid, quod mihi dixerat, non quod revera verba ejus essent talia, sed quod dicens mihi displiceret. Et si etiam,

quo bene conscientiae tuae statum declares, ipsamet necesse sit verba particulatim referre, credo, bonum fore, ipsa dicere. Nam dum quis sic aperte se accusat, non modo peccata, quae commisit, sed & malas inclinationes, mores, habitus, atque alias peccati radices patefacit: itaque spiritualis Pater plenam perfectamque animi, & conscientiae, quam tractat, nec non remediorum, quae ei propria sunt, & conveniunt, cognitionem accipit. Semper tamen studiose cavendum est, ne tertia persona, quae peccato tuo aliquo modo est cooperata, quantum quidem fieri potest, patefcat, & detegatur.

Diligenter quoque animadvertite ad multa peccata, quae saepe insensibiliter in conscientia vivunt, & dominantur, ut ipsa confiteamini, teque ab iisdem expurgare valeas. Legas ad hoc diligenter Caput VI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXXV. & XXXVI. Partis tertiae, & Caput VII. Partis quartae.

Ad haec non facile Confessarius tibi mutandus est; at postquam aliquem jam tibi delegeris, huic exinde conscientiae tuae rationem perge reddere, diebus ad hoc faciendum praestitutis, candide, & aperte omnia, quae admisisti peccata, nec non tempus ab ultima confessione elapsum, declarando, verbi gratia, esse jam mensem, aut duos ab ea elapsos. Aperi praeterea inclinationum tuarum statum, esto



esto per has ipsas minime deliqueris; si nimirum in tristitiam propendeas, aut natura sis morosior, si in lætitiā, aut opum comparandarum cupiditatem sis inclinatioꝛ; & sic de aliis affectibus, & inclinationibus.

## C A P U T XX.

### *De frequenti Communione.*

**F**ertur Mithridates Ponti Rex, cum mithridaticum medicamentum invenisset, ita suum per hoc ipsum corpus corroborasse, & armasse, ut, cum postea, quo Romana vincula & captivitatem evitaret, veneno sibi vitam vellet abrumpere, nequaquam potuerit. Redemptor noster Christus Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod Carnem ejus, & Sanguinem realiter continet, instituit, ut qui ipsum comedit, in æternum vivat. Unde, qui ipsum crebro cum devotione suscipit, ita animæ suæ vitam & sanitatem confirmat, ut ipsum propemodum impossibile sit, ab aliquo sinistro affectu vitiosaque inclinatione intoxicari, nemo carnem hanc vitæ potest comedere, eaque nutriti, & mortis affectibus exinde vivere. Adeo, ut quemadmodum homines in Paradyso terrestri agentes, secundum corpus mori non poterant, idque vi, & efficacia ligni illius vitæ, quod in ejus medio Dominus plantarat; sic spiritualiter, & se-

cundum spiritum iidem mori non possint, virtute Sacramenti hujus vitæ. Si enim fructus molliores & corruptioni præ aliis obnoxii, (puta cerasa, poma annenia, & fraga) facili negotio per totum annum integri conservantur, si quando saccharo aut melle condiuntur; mirum sane non est, corda nostra, tametsi fragilia & imbecilla, a peccati corruptione integra conservari, quando ab incorruptibili Carne & Sanguine Filii DEI saccharata & mellita sunt. Quicumque Christiani, Philothea, damnationi addicentur, nihil habebunt certe, quod in suam defensionem, & excusationem afferant tunc, cum Judex justissimus illis ostendet, quam immerito spiritualiter mori voluerint, cum tam facile, & vitam, & sanitatem, corporis sui, quod hæc de causa illis relictum & datum erat, manducatione conservare potuerint. Ah miser! dicet, cur, quæso, mortui estis, cum fructum & cibum vitæ in manibus vestris haberitis, & potestate?

Quotidie porro Sacram Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec vitupero; at singulis Dominicis diebus communicare, & suadeo, & quisque ut communicet, exhortor, dummodo spiritus ab omni erga omne peccatum affectu liber sit, & immunis. Sunt hæc ipsa S. Augustini verba, quocum nec probo, nec improbo absolute quotidiana

nam

nam communionem; sed Patris spiritualis hominis illius, qui huc propendet, & sic communicare volet, discretioni eam relinquo. Nam cum dispositio, quæ ad tam frequentem communionem requiritur, valde exacta & eximia esse debeat, hinc eam generaliter cuilibet consulere consultum non est. Verum quoniam hæc ipsa dispositio, tametsi singularis, in multis sanctis animabus haberi potest, & inveniri, hinc etiam non consultum est, generaliter unumquemque a tali communionem divertere, & abstrahere, at juxta cujusque conscientiam statum in particulari, ea aut suadenda, aut dissuadenda. Etenim imprudentiam specimen foret, tam frequentem Eucharistiæ usum omnibus sine ulla distinctione consulere; uti & imprudentia foret, aliquem propter eum reprehendere: maxime si boni prudentisque alicujus directoris consilium in hoc sequeretur. Scite sane S. Catharina Senensis, suam adeo frequentem communionem reprehendentibus, eo quod S. Augustinus eam nec laudabat, nec vituperabat, respondit. Cum, inquit, S. Augustinus eam non vituperet, rogo, ne & vos eam vituperetis, & hoc mihi sufficiet.

At vides, Philothea, Augustinum consulere, quam maxime, & neminem non exhortari, ut singulis diebus Dominicis Communionem Sacram adeat, hoc ergo consilium sequere,



& exequi pro viribus stude. Etenim cum nulum erga peccatum mortale affectum & propensionem (uti præsuppono) habeas, nec etiam erga aliquod veniale inclinata sis, veram illam dispositionem habes, quam S. Augustinus requirit, quin & adhuc multo excellentiorem, nam non modo non habes affectum peccandi, sed ne quidem erga materiam peccati; adeo ut, si Pater tuus spiritualis consuleret, & expedire censeret, etiam sæpius quam unaquaque Dominica cum animæ tuæ fructu communicare posses.

Nihilominus multa legitima occurrere possunt impedimenta, non quidem a parte tua, sed ab iis, quibuscum agis, quæ prudenti conductori occasionem forsitan darent, tam frequentem tibi communionem inhibendi. Si, verbi gratia, alicujus in subjectione agas, & si ii, quibus aut obedientiam, aut reverentiam debes, ita male edocti & stupidi essent, ut, toties te Sacram Communionem adire videntes, scandalizentur, aut se turbent. Quare, rebus omnibus consideratis, consultum forsitan erit, illorum infirmitati aliquo modo in hoc acquiescere, & nonnisi decimo quinto quoque die Sacram Communionem adire, at hoc intelligitur ita, si difficultatem nimirum aliter exsuperare nequeas. Sed nihil certi hac in re generaliter definiri & consuli potest: at faciendum, quod tibi Pater spiri-

spiritualis faciendum consulet. Quamquam hoc certo & audacter dicere queam, eos, qui devote servite DEO volunt, non posse minus quam singulis mensibus communicare, nec diutius differre communionem posse.

Si satis prudens sis, tibi nec mater, nec uxor, nec maritus, nec pater impedimento erunt, quo minus sæpe Sacram Communionem adeas, cum enim ipsa communionis die officii tui partes pro statu tuo convenienter expleas, erga illos tum benignior, & affabilior sis, nullumque genus obsequii eis deneges, verisimile certe non est, illos hoc in exercitio ullatenus impedire te velle, cum nullum ex hoc ipsis secuturum sit incommodum, nisi forsan admodum impertinentes, morosi, & rationi dissentanei forent. Hoc in casu (uti dixi) si director tuus ita faciendum suaserit, illorum voluntati forsan condescendendum erit.

Pro conjugatis aliquid hic addam oportet. In veteri lege vetuerat DEUS, ne creditores diebus festis debitum a debitoribus suis exposcerent; at non damnabat, si debitores iis diebus ea, quæ debebant, exigentibus solverent. Indecens est, quamquam non magnum peccatum, matrimoniale debitum ea die exigere, qua sacram quis adiit communionem, at indecens non est, imo vero meritorium, ipsum reddere, non ergo ob debiti illius redditionem communionem quis privandus est, si

alioquin devotio ad ipsam adeundam feratur. Certe in primitiva Ecclesia Christiani quotidie communicabant, esto essent conjugati, & prolibus operam darent. Atque ideo dixi, frequentem communionem nullum omnino incommodum, aut parentibus, aut uxoribus, aut maritis dare consuevisse, dummodo is, qui eam adit, prudens sit, & discretus. Morbi vero corporales nullum penitus sanctæ huic participationi impedimentum adferunt, nisi talis forsitan is esset, qui frequentes vomitus provocaret.

Ad singulis octonis diebus communicandum, requiritur, ut quis sit ab omni peccato mortali, & erga peccatum veniale affectu desiderioque liber, ardensque communicandi desiderium habeat, verum, ut quotidie quis sacras epulas accedat, potissimam præterea malarum suarum inclinationum partem superarit necesse est, & nonnisi Patris sui spiritualis cum consensu consilioque id aggredi debet.

## CAPUT XXI.

### *Quomodo communicandum sit.*

**J**Am inde a præcedente vespera, ad S. Communionem te præparare incipe, idque per multas aspirationes, & amatorias animi elibrationes, paulo citius dormitum concedens, ut etiam citius & tempestivius possis surgere,



si forte ea nocte expergisceris, statim spiritum & os tuum verbis quibusdam devotis, & odoriferis adimple, quibus anima tua, ceu odoramentis quibusdam, perfundatur, ad sponsum suum admittendum; qui te dormiente vigilans, sexcentas tibi gratias, & charismata dare paratus est, dummodo tu a parte tua ad easdem recipiendas disposita sis. Mane summa cum animi hilaritate, & gaudio, surgito, quod maximum bonum, & beneficium hodie sis acceptura, & sacra confessione præmissa, magna quadam fiducia, simul, & magna cum animi humilitate ad Cœlestem hunc Cibum, qui ad immortalitatem te nutrit, sumendum accede. Et postquam, jam sacra illa verba *Domine, non sum dignus*, dixeris, caput, aut labia, vel ad orandum, vel ad suspiria ducenda amplius non movebis; sed ore modeste ac modice diducto, & capite tantum, quantum necesse est, elevato, ut Sacerdos commode videat, quid agat, plena fide, spe, & charitate, recipe illum, quem, in quem, per quem, & propter quem credis, speras, & diligis. Considera, Philothea, sicut apis, postquam rorem cœlestem, & præstantissimum terræ succum, jam e floribus collegit, & in mel redegit ipsum in alveare suum invehit, ita Sacerdotem postquam mundi Salvatorem, verum DEI Filium, qui instar roris cœlo descendit, & verum Virginis Filium,

lium, qui floris in morem ex humanitatis nostræ terra prodiit, ex altari accepit, illum velut cibum suavissimum in os, & intra corpus tuum inducere. Postquam illum jam recepisti, cor tuum ad Regi huic salutari obsequium deferendum excita, & cum illo de rebus ad animam tuam spectantibus tracta, eumque intra teipsam considera, quo, ut tibi beneficeret, sese recepit. Denique quam poteris intime, & amicissime eum excipe, & tracta, itaque te gere, ut ex omnibus actionibus tuis evidenter appareat, & cognoscatur, DEUM cœli in te commorari.

Verum cum realiter in Missa non poteris communicare, saltem spiritualiter & affectu communica, ardenti quodam desiderio vivifica huic Salvatoris carni te uniens, & conjungens.

Non alia autem tua in communicando intentio esse debet, quam ut te in amore DEI promoveas, corroboret, & consolentur, oportet quippe, te recipere ex puro amore, quod & solus amor dedit tibi. Neque enim considerari Salvator in amorosiore & teneriore actu potest, quam est hic, in quo se (ut ita dicam) annihilat, & in cibum convertit, quo in animas nostras penitus se insinuet, & penetret, & cordibus corporibusque fidelium suorum intime uniat.

Si quis mundanorum te roget, cur toties Sacram Communionem adeas, responde: te  
id-

idcirco facere, ut DEUM amare discas, te ab imperfectionibus tuis expurges, a miseriis libereres, in afflictionibus consolationem invenias, in debilitatibus & fragilitatibus fulcimentum. Dico, duo hominum genera sæpius sacras has epulas adire debere. Primo perfectos, cum enim hi bene dispositi sint, certe male agerent, si ad perfectionis fontem, & originem minime accederent: Deinde imperfectos, ut sic cum ratione ad perfectionem aspirent, & pertingant. Fortes quidem, ne debiles reddantur; debiles vero, ut fortes evadant; ægros, ut sanentur; sanos, ne in ægritudinem aliquam incidant: te vero, ut imperfectam, debilem & ægram, sæpius cum perfectione tua, robore, & medico tuo, communicare oportere. Responde quoque, illos, qui pauca a mundanis negotiis impedimenta habent, sæpius certe Communionem Sacram debere frequentare, quod magna ad hoc illis suppetat commoditas, eos vero, qui pluribus negotiis implicantur, quod ea maxime opus habeant, & quod illum, qui multum laborat, & variis doloribus opprimitur, cibos solidos, & quidem frequenter, comedere oporteat. Dic, ideo te Sacrosanctum Sacramentum recipere, ut bene recipere discas, & assuescas, neque enim bene, & prout oportet, opus aliquod fieri potest, nisi quis illud sæpius exerceat.



Sæpe ergo, mea Philothea, communica, & quam potes sæpissime, idque suasu & consilio Confessarii tui, & mihi crede, sicuti lepores in montibus nostris hyberno tempore albescent, quod præter nivem nihil videant, aut comedant, ita te, pulchritudinem, bonitatem, & puritatem ipsam in Divino hoc Sacramento sæpius adorando, & comedendo, totam pulchram, bonam, & puram evasuram.

## INTRODUCTIONIS PARS TERTIA.

*Plurima continens documenta circa  
virtutum exercitium.*

### C A P U T I.

*De electione in virtutum exercitio  
necessario.*



**A**lum Rex nunquam foras provolat, nisi omni populo, & subditis suis stipatus: sic nunquam charitas animam alicujus ingreditur, quin simul reliquarum virtutum satellitium, & chorum secum trahat, eas exercens, & occupatas habens, perinde

inde ac dux milites suos: quanquam eas non simul, nec æqualiter, nec omni tempore & loco exercent, & operi applicet. Justus quippe instar arboris est, secus decursus aquarum plantatæ, quæ fructum suum dat in tempore suo; quod charitas, animam quandam irrigans, varia virtutum opera, suo singula tempore, in ea producat. Musica, ut dicitur in Proverbiis, quæ per se adeo recreat, & grata est, in luctu tamen importuna est. Insignis certe nonnullorum error est, qui, dum virtutem aliquam particularem exercere student, ubique & quibusvis in occasionibus actus producere pervicaciter volunt, & uti prisci illi duo Philosophi, aut semper flere, aut semper ridere, cupiunt: & quod pejus est, sugillant, & carpunt eos, qui, sicut ipsi, easdem has non semper virtutes exercent. Gaudendum est cum gaudentibus, & flendum cum flentibus, ut suadet Apostolus; Charitas item patiens est, benigna, liberalis, discreta, & omnibus se accommodat.

Aliquæ tamen sunt virtutes, quarum usus & exercitium prope universalis est, & quæ actus suos non solum separatim & privatim exercere, sed & per aliarum omnium virtutum actus qualitates suas diffundere debent. Neque enim fortitudinis, magnanimitatis, & magnificentia exercendæ sæpe occasio offertur: at benignitas, temperantia, honestas, &  
hu-

humilitas virtutes hujusmodi sunt, ut ab iis omnes, & quælibet vitæ nostræ actiones, tingi, & decorari debeant. Sunt quidem, fateor, virtutes quædam his multo excellentiores, usus tamen illarum priorum magis necessarius est. Saccarum sale quidem excellentius, & præstantius est, usum tamen sal frequentiore, & generaliore habet. Quamobrem semper a virtutibus his generalibus optime quis instructus sit oportet, quod nullo prope non loco, & tempore earum usus necessarius sit.

Porro, illarum virtutum exercitium præferendum est, quæ officio nostro, & debito sunt conformiores, non vero, quæ sensualitati, & affectui privato magis arrident. S. Paulæ cum primis sapiebat, corporalium mortificationum asperitati sese dare, quo dulcedine, & consolationibus spiritualibus perfunderetur; sed superioribus eam suis obedire necesse magis erat. Unde fatetur S. Hieronymus, eam in hoc reprehensibilem fuisse, quod contra voluntatem, & consilium Episcopi sui immoderatis sese abstinentiis attereret. Apostoli vice versa ad Evangelium prædicandum, & cœlestem animabus panem impertiendum constituti, merito, & consulto minime impedire judicarunt, sanctum hoc exercitium se relinquere, quo virtutem, quæ circa pauperes curandos versatur, (esto excellentissimam)



mam) exercerent. Unaquæque vocatio, & munus specialis alicujus virtutis exercitio opus habet: aliæ quippe virtutes sunt Prælati, aliæ Principis, aliæ militis, aliæ mulieris conjugatæ, aliæ viduæ, ut, licet omnes, universas habere virtutes debeant, non tamen omnes æqualiter eas praticare, sed quemque particulariter iis se virtutibus dare necesse sit, quæ ad vitæ genus, ad quod vocatus est, cumprimis sunt necessariae.

Inter virtutes autem, quæ ad officium, & munus nostrum particulariter non spectant, eæ sunt præferendæ, quæ aliis sunt majores, & excellentiores, non autem, quæ præ aliis velut digniores eminent. Cometæ, ut plurimum aliis stellis majores apparent, & plus loci oculis nostris continere videntur, cum aliis tamen stellis, nec quoad magnitudinem, nec quoad qualitatem, naturam sunt comparandi; & non alia de causa videntur magni, quam quod præ aliis stellis nobis sunt viciniore, & in materia, & subjecto crassiori constituti. Sic etiam quædam virtutes sunt, quæ, quia nobis vicinae, sensibiles, & (si dicere fas sit) materiales sunt, hinc semper a populo magni fiunt, & aliis digniores censentur. Hinc est, quod vulgus communiter eleemosynam temporalem spirituali præfert; cilicium, jejunium, nuditatem, flagellationem, & mortificationes corporis, benignitati,

mansuetudini, modestiæ, & aliis animi mortificationibus, quæ tamen longe sunt excellentiores, & præstantiores. Meliores itaque virtutes tibi selige, Philothea, non vero eas, quæ plaris ab aliis fiunt; excellentiores, sed non magis apparentes, præstantiores, sed non quæ plus gloriæ pariunt.

Expediens est, ut quisque particularem aliquam virtutem sibi exercendam proponat, non quidem, ut propterea reliquarum exercitium omittat, sed ut spiritum suum melius directum, & occupatum habeat. Formosa quædam juvencula, sole fulgentior, reginæ in morem adornata, & oleagino sermo redimita, Joanni Archi-Episcopo Alexandrino spectandam sese obtulit, & ait: Ego sum filia primogenita Regis; si me tibi amicam eligere & habere velis, illius in conspectum te introducam. Intellexit ipse, hanc esse piam in pauperes misericordiam, quam DEUS illi commendatam, & amicam habere volebat, cujus is proinde exercitio ita se post applicuit, ut propter eam passim S. Joannes Eleemosynarius cognominetur. Eulogius Alexandrinus speciale aliquod DEO obsequium præstare cupiens, nec satis virium habens, vel ad vitam solitariam sectandam, vel ad ulterius se imperio nutuique subjiciendum, pauperem quendam lepra turpissima, & foedissima cooptum in domum suam recepit, erga quem

cha-

charitatem, & mortificationem exerceret; quod ut dignius, & melius etiam præstaret, votum concepit, ita se eum honoraturum, habiturum, & ministraturum, ut famulus domino famulatur & colit. Cum vero & leprosus ad Eulogium, & Eulogius vicissim ad leprosum deserendum tentaretur, ambo magnum Antonium, notæ sanctitatis Anachoretam, adiere: qui ad utrumque: cavete, inquit, charissimi, ne alter ab altero recedatis; cum enim ambo non procul a fine, & exitu vestro distiti sitis, si vos Angelus Domini simul & conjunctos non inveniat, in præsentissimo ambo coronarum vestrarum amittendarum discrimine versamini.

S. Ludovicus Rex tam studiose valetudinaria obibat, suisque ipse manibus ægrotis inserviebat, ac si mercede ad hoc esset conductus.

S. Franciscus paupertatem præ aliis virtutibus unice complectebatur, eamque dominam suam appellabat: uti D. Dominicus verbi Divini prædicationem, atque ab hoc officio Ordo ipsius nomen accepit. S. Gregorius Papa peregrinis excipiendis, ad instar magni Patriarchæ Abrahami, mire capiebatur, & ad exemplum etiam illius, ipsum Regem gloriæ peregrini in schemate, & habitu excepit. Tobias mortuis sepeliendis totus insistebat.

S. Elisabetha, quantumvis illustis foret Princeps, sui ipsius abjectionem in



omnibus & ubique confectabatur. S. Catharina Genuensis, jam vidua, xenodochii famulatu totam sese adjecit. Sancta quædam mulier, aliquam patientiæ virtutis exercendæ occasionem habere cupiens, teste Cassiano, ad S. Athanasium venit; qui votis ejus satisfactorus, ipsam pauperulæ cujusdam viduæ, sed morosæ, querulæ, molestæ, iracundæ, & intolerabilis curam habere jussit: quæ cum piam illam virginem assiduo objurgaret, insignem illi benignitatis, & mansuetudinis digne exercendæ materiam præbuit. Sic inter servos Dei, aliqui quidem agris servire, alii egenis succurrere, alii pupillis, & viduis opitulari, alii doctrinæ Christianæ inter parvulos incrementum procurare, alii animabus perditis, pessumeuntibus, & errantibus in viam rectam reducendis toti incumbere; alii templa, & altaria ornare; alii pacem & concordiam inter dissidentes conciliare satagunt. In quo acupictores, & phrygiones imitantur; nam sicuti hi vario subjecto fundoque insigni cum varietate, byssum, aurum, & argentum superinstruunt, quo omnia florum genera exprimant, & æmulentur: sic piæ animæ, particulare aliquod devotionis exercitium usurpantes, ipsum in acupictura sua spirituali velut fundum, & subjectum habent, super quod deinde omnium aliarum virtutum variegationem inducunt, & practicant. Unde fit, ut actiones suas melius ordi-

ordinatas, & compositas habeant, dum eas ad exercitium suum principale referunt, itaque spiritum suum patefaciunt, & quandam virtutum variegaturam phrygionicam, bysso auroque, velut intertexto, repræsentant.

Si quando a vitio aliquo tentamur, contrariam illi virtutem, quantum quidem possibile nobis erit, exerceamus oportet, reliquas omnes ad unam referendo: hac quippe ratione inimicum nostrum superabimus, & in nulla non virtute profectum insignem faciemus. Si superbia, & ira me oppugnet, in omnibus in humilitatis, & benignitatis partes propendeam, & inclinem, & ad hanc reliqua omnia, orationis, Sacramentorum, prudentiæ, constantiæ, sobrietatis exercitia referam oportet. Nam quemadmodum apri, quo dentes suos prostantes, acutos reddant; aliis dentibus eos confricant, & poliunt, qui vicissim inde quoque exacuantur, & secationi apti redduntur: pari modo vir pius, cum se in ea virtute, qua ad sui defensionem maxime opus habet, perficere constituit, ipsam aliarum virtutum exercitio limare quodammodo, & exacquare debet, quæ, dum hæc expolitur, omnes pariter excellentiores, & politiores evadunt: sic factum est Sancto Job, qui, cum se in patientia, adversus tot tentationes, quibus exagitatus fuit, ante omnia maximeque exerce-

K 3

ret,

ret, plane sanctus, & perfectum omnium virtutum exemplar factus est. Imo vero, teste S. Gregorio Nazianzeno, contigit aliquando, ut uno solo virtutis alicujus bene, & perfecte exercitæ actu, quis ad virtutum omnium culmen pervenerit: quod probat exemplo Rahab, quæ cum officium hospitalitatis debite, & exacte impleffet, ad summam quandam gloriam evedta est, at hoc intelligendum est, tum demum locum occupat, quando actus hic excellenter, & in gratiarum fervore, & charitate perficitur.

## CAPUT II.

*Eadem materia tractatur de ipso, inquam, virtutum delectu.*

**P**Ræclare sane quodam in loco D. Augustinus scripsit, eos videlicet, qui devotioni sese dare incipiunt, quosdam in principio errores committere: qui quidem, si ad rigorem legum de perfectione exigantur, reprehendi certe merentur; laudandi tamen sunt, ob insigne, quod edunt, eximiæ cujusdam pietatis futuræ præsagium, ad quam hi ipsi velut viam sternunt, & hominem disponunt, sic servilis, & crassus ille timor, qui superfluos quosdam in animabus eorum, qui recenter a peccati statu egrediuntur, generat scrupulos, hocce in principio egregia quidem

&



& laudabilis quædam est virtus, & certum futuræ puritatis conscientiæ præfagium; sed & hic ipse reprehensibilis, & culpandus foret in jam longius provectis, quorum in cordibus dominari, & habitare debet amor filialis, qui servilem hunc timorem paulatim expellit.

S. Bernardus in suis principiis rigide, & aspere tractabat eos, qui illius in disciplinam sese tradebant, quos jam tum in principio docebat, corpus ipsum relinquendum esse, & exuendum, & solo spiritu ad ipsum accedendum. Illorum confessiones excipiens, extraordinaria quadam severitate omnia in iis defectuum, quantumlibet exiguorum, genera sugillabat, & miseros hos tirones tam enixe, & impense ad perfectionem extimulabat, ut, dum illos æquo vehementius huc incitat, ab eadem illos deterreret, & abstraheret: etenim & animo, & viribus concidebant, dum tam instanter se in tam acclivem, præcipitem, & altum ascensum viderent propelli. Ardentissimus scilicet perfectæ puritatis zelus, Philothea, illustrem hunc Sanctum movebat, ut hanc ad perfectionem pertingendi viam inire vellet, & hic in eo zelus, præstans quædam erat virtus; at virtus, quæ nihilominus reprehendi merebatur. Unde, & Dominus ipse ei apprensus, hanc in eo vehementiam corripuit, & ejus loco spiritum lenem, suavem,

dulcem, & tenerum in animum ejus infundit, cujus adminiculo totus alius factus, ipse deinde se prioris illius nimix severitatis, & rigoris maxime accusabat, & ita placidus, ac curusque sese accommodans naturæ, & genio evasit, ut omnibus omnia factus sit, quo omnes lucrifaceret. S. Hieronymus postquam narrasset, charissimam discipulam suam Paulam in corporalium mortificationum exercitio non solum modum excessisse, & nimiam fuisse, verum & obstinatam, adeo, ut ne quidem S. Epiphaniï Episcopi sui, rigores hosce plane dissuadentis, consilio vellet acquiescere; & præterea ita se ob suorum mortem dolore solitam conficere, & contristari, ut prope semper in moriendi periculo versaretur: tandem hisce verbis narrationem suam concludit: *Dicent me, non tam laudes sanctæ hujus & encomium, quam imperfectiones, & vituperia scribere, testor autem JESUM, cui & ipsa servivit, & ipse servire desidero, me nec in his, nec in illis mentiri; sed simpliciter, & candidè, quidquid de ipsa occurrit dicendum, adferre, ut Christianum de Christiana, id est, historiam tenere me, non panegyricum, illiusque vitia in aliis esse posse virtutes. Dicere vult, quod, quæ in Paula imperfectiones, & defectus fuere, in anima minus perfecta virtutum nomen habere potuissent. Sicuti de facto quædam sunt opera, quæ in perfectis habentur ut imperfectiones, quæ in*  
im-

imperfectis tamen pro insignibus haberentur perfectionibus. Bonum recuperatæ valetudinis signum est, quando jam sub morbi finem ægro tibiæ intumescunt, hic quippe tumor indicat, naturam jam nonnihil corroboratam humores superfluos foras emittere, at in non ægotante malum id signum esset; indicaret enim, naturam ad humores dissipandos, & resolvendos satis potentem non esse. Bonam, Philothea mea, opinionem habeamus oportet de iis, a quibus virtutes practicari, & exerceri cernimus, tametsi eæ imperfectionibus quibusdam permixtæ sint, cum & Sancti ipsi tali cum iniquatione eas non raro practicarent. At nostrum est, in illarum exercitio non fideliter solum, sed & prudenter nos gerere, & illud Sapientis consilium sequi, propriæ, inquam, prudentiæ non nimium inniti, sed eorum, quos DEUS nobis directores, & duces dedit.

Quædam sunt, quæ vulgus imperitum virtutes esse existimat, nullatenus tamen virtutes sunt, de quibus aliquid hic me loqui oportet: talia sunt ecstases, aut raptus, insensibilitates, impassibilitates, uniones Deificæ, corporis sursum elevationes, transformationes, & alia id genus perfectiones, de quibus libri nonnulli docentes, quomodo anima ad contemplationem pure intellectualem, ad essentialem spiritus applicationem, & vitam su-



per eminentem ascendere possit, ex professo tractant.

Vides, Philothea, perfectiones has virtutes non esse, cum potius præmia, & compensationes quædam sint, quæ pro virtutum exercitio DEUS hoc in mundo rependit; vel potius quædam felicitatis vitæ futuræ indicia & specimina, quæ sæpe non alia de causa homini dantur, quam ut ad totum, quod in Cælo datur, & reservatum est, aspiret & affectu rapiatur. Hinc hujusmodi gratiæ nulli omnino desiderandæ sunt, aut optandæ, cum ad bene DEO serviendum, & eum diligendum (quod unum spectare, & quærere debemus) nullatenus necessariæ sint; imo sæpe tales gratiæ sunt, ut nullo hominum labore, & industria valeant comparari, cum passiones potius sint, quam actiones, quas ipsi quidem in nobis recipere possumus, & amittere, at non causari, & producere. Addo, alium nobis scopum hic non esse, quam, ut in homines bonos, & devotos, viros pios, & fœminas pias evadamus; quocirca totos in hoc unum intendere, & collineare nos oportet. Si præterea nos ad perfectiones illas Angelicas DEUS sustollere, & elevare dignetur, boni etiam Angeli erimus; sed interim dum hanc gratiam expectamus, in parvis nos virtutibus (quarum acquisitionem a cura, & labore nostro Dominus dependere voluit) uti sunt

sunt patientia, mansuetudo, corporis mortificatio, humilitas, obedientia, paupertas, castitas, commiseratio erga proximum, imperfectionum ejus tolerantia, diligentia, & sanctus quidam fervor, simpliciter, humiliter & devote exerceamus. Supereminencias illas animabus supereminentibus libenter cedamus: tam sublimem enim ipsi in DEI servitio gradum non promeremur, imo, nimis quam felices etiam erimus, si vel in culina, ac pistri- no illi operam præstare, & illius pedissequi, bajuli, famuli cubiculares esse mereamur: illius est, si ita ei placuerit, nos postea intra conclave suum, & concilium privatum recipere. Etenim, Philothea, Rex ille gloriæ famulis suis non secundum dignitatem officiorum, quibus funguntur, sed pro amore, & humilitate, ex qua illis funguntur, mercedem persolvit, & compensat. Saul asinas patris sui quærens, regnum invenit Israël. Rebecca potans camelos Abrahami, filii illius uxor facta est. Ruth post messorum Booz spicas legens, & ad pedes ejus dormiens, ad latus ejus protracta est, ejusque uxor facta. Certe, quicumque ad extraordinaria hæc, & tam sublimia adspirant, diabolicis illusionibus, fraudibus, & imposturis quam maxime sub- jecti sunt; & sæpe fit, ut, qui Angelos se esse putant, ne quidem boni homines sint, ac plus magnitudinis, & splendoris in verbis, &

mo-

modo suo loquendi, quam in sensu, & opere suo præferant. Nihil tamen temere carpendum, aut sugillandum est, sed DEUM pro aliorum prærogativa, & supereminencia laudando, ipsi nos in via nostra humiliore, sed tutiore, minus eccellente quidem, sed insufficientiæ, & parvitati nostræ convenientiore, humiliter contineamus: in qua, si humiliter & fideliter conversemur, ad eminentes quasdam magnitudines DEUS dein nos sustollet:

### CAPUT III.

#### De Patientia.

*P*atientia vobis necessaria est, ut facientes voluntatem DEI, reportetis repromissionem, ait Apostolus. Et vere: nam quemadmodum Redemptor JESUS dixerat: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Ingens certe, Philothea, hominis felicitas est, suam possidere animam; & quo patientia nostra perfectior erit, eo animas nostras possidebimus perfectius. Sæpius ad mentem revoca, Dominum patiente, & tolerando nos salvasse, nos quoque laborum tolerantia, afflictionibus, nec non injurias, contradictiones, & adversa, quam possumus patientissime, & æquanimiter ferendo, salutem nostram procurare, & asserere debere.

Noli



Noli patientiam tuam ad hoc illudve injuriarum atque afflictionum genus ferendum restringere, sed eam universaliter ad omnes, quas tibi DEUS immittet, aut ut eveniant permittet, extende. Sunt enim, qui non alias ferre tribulationes volunt, quam quæ sunt cum honore conjunctæ; qualis verbi gratia est, in bello vulnerari, in bello capi, Religionis causa male haberi, per litem, in qua tamen Superiores evaserint, ad paupertatem redactum esse, & hi non tam tribulationem, quam honorem ex illa pullulantem amant. Verus patiens, & DEI servus, eadem tribulationes, tam cum ignominia, quam cum honore conjunctas, æquanimitate perfert, & vultu eodem. Ab improbis, & scelestis hominibus contemni, reprehendi, accusari, & indignis modis haberi, magnanimo, & generoso quidem jucundum, & volupe est, at bonis amicis, & consanguineis reprehendi, accusari, & male haberi, & patienter nihilominus ferre, viri boni est. Pluris illam facio mansuetudinem, & lenitatem, qua B. Carolus Borromæus longo tempore publicas, quas celebris quidam ex Ordine summe reformato concionator pro concione, & in suggestu in eum depromebat, suggillationes æquanimiter tulit, quam omnes, quas ab aliis unquam cepit contradictiones. Nam quemadmodum apum puncturæ plus doloris inferunt, quam

muscarum; sic malum, quod a viris bonis  
 infertur, & contradictiones, quibus hi nos  
 exagitant, longe sunt intolerabiliores, quam  
 alia. Sæpe enim contingit, ut duo boni viri,  
 bona uterque intentione, in diversa sua opi-  
 nione, & sententia nitentes, alter alterum  
 maxime persequantur, & invicem contradi-  
 cant. Patiens esto, non solum quoad prin-  
 cipalem, & primariam earum, quæ tibi eve-  
 nient adversitatum partem, verum etiam quoad  
 accessoria earundem, & aliunde incidentia.  
 Multi quidem pati, & mala subire vel-  
 lent, dummodo nullum commoda sua pate-  
 rentur dispendium. Unde est, qui dicat: non  
 est mihi grave ad paupertatem redactum esse,  
 sed hoc me male habet, quod hæc impedi-  
 mento sit, quo minus amicis gratificer, libe-  
 ros meos promoveam, & honorifice magni-  
 ficeque, prout vellem, vivam. Alius dicit:  
 Minime curarem, sed putabor ipse in culpa  
 fuisse, cur ad paupertatem devenerim. Alius  
 gaudebit, quod alii de se male loquantur,  
 ipsosque maledicos æquanimiter feret, dum-  
 modo nemo hæc maledicta credat. Alii sunt,  
 qui aliquam quidem a malo incommoditatem  
 ferre volunt, sed non omnem: quod ægro-  
 tent, impatienter, inquirunt, non ferunt, sed  
 quod pecuniam non habebant, ad medicos  
 advocandos, & medicamenta comparanda,  
 aut quod ii, qui ipsos circumstant, importu-  
 ni

ni sint. Dico porro Philothea, patienter nos ferre debere, non solum quod ægrotemus, verum etiam, quod eo ægrotemus morbo, quo DEUS nos visitare cupit; nec non eo in loco, quo ipse vult, & inter, & apud eos, quos ipse vult, & iis denique cum incommoditatibus, quibus ipse nos inveniri vult: & sic de aliis omnibus tribulationibus. Si quod tibi malum accidet, quæcunque potes, & secundum DEUM sunt, ei pellendo remedia adhibe. (Aliter enim, qui vellet facere, Divinam Majestatem tentaret.) Et hæc, ubi adhibueris, plena cum animi resignatione effectum, quem DEUS facere voluerit, expecta, si illi placeat, ut remedia malo prævaleant, magna cum humilitate illi gratias ages, si, ut malum remediis, cum patientia ei benedicito.

Quare S. Gregorium secutus tibi suadeo, ut, cum merito ob delictum aliquod revera admissum accusaris, & reprehenderis, maxime te humiles, & insimulationem illam te promereri ingenue confitearis; si vero falso & immerito accuseris, placide excuses, minime id te commisisse asserens: hanc quippe reverentiam veritati, & proximi ædificationi debes. At, si post veram & legitimam tuam excusationem, nihilominus alii te accusare pergant, nullatenus turberis, nec multum, ut excusationem tuam admittant istes: postquam



quam enim veritati dedisti, quod suum est, suum & humilitati dare debes. Sic namque nec curæ, quæ famæ & nomini tuo debes; nec affectui, quo erga tranquillitatem benignitatem, & humilitatem ferri debes, damnum inferes.

Quam potes minime, de injuriis tibi irrogatis conquerere: certum namque est, ut plurimum peccare eum, qui de illis conqueritur; quod amor proprius semper nobis injurias depingat majores, quam revera sint, & ut tales eas sentire nos faciat. Ante omnia autem cave, ne apud eos de illis conquerare, qui ad indignandum & mala cogitandum proni & faciles sunt. Si vero apud aliquem conqueri de injuria expediat, ut is malo medeatur, & remedium aliquod suggerat, tum ut spiritum tuum serenet, & componat, id non nisi apud homines quietos, pacificos, DEIque cumpri-  
mis amantes fiat, aliter enim, adeo non animum tuum alleviabunt, ut etiam magis eum sint turbaturi, & majorem ei inquietudinem allaturi, & adeo non spinam, quæ te pungit, auferent, ut etiam profundius pedi eam tuo sint infixuri.

Multi dum vel ægrotant, vel affliguntur, vel injuriam quampiam passi sunt, cavent quidem, ne de ea conquerantur, & animi sui mollitiem testentur; hoc quippe evidens (uti revera est) pusillanimitatis, & defectus generosi-

rositatis signum esse putant: summopere tamen gaudent, & nullo non artificio alios omnes inducere allaborant, ut eorum sortem misereantur, & deplorent, ipsosque non modo afflictos, sed & patientes, & generosos existiment. Est quidem hæc, vere patientia, sed patientia falsa: quæ a parte rei aliud non est, quam subtilissima quædam ambitio, & vanitas. *Gloriam habent*, inquit Apostolus, *sed non secundum DEUM*. Verus autem patiens de malo suo non conqueritur, nec ut aliquis ipsum deploret, desiderat; simpliciter, vere & candide de eo loquitur, non conquerendo, nec exostulando, neque ipsum exaggerando, si quis sortem ac vices ejus doleat, audit patienter, & tacite; nisi dum malum aliquod habere, & pati dicitur, quod revera non habet; tunc quippe modeste significat, id se malum non habere, itaque inter veritatem & patientiam medius, quiescit, & malum suum confitendo, & tamen de eo non conquerendo.

In contradictionibus autem, quas in devotionis exercitio patieris (hæ enim minime deerunt) memineris verborum Domini dicentis: *Mulier, dum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus, cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum*. Concepisti enim in anima, omnium quos mundus habet, puerum dignissimum, **JESUM** Christum inquam;

qui, antequam producatur, & penitus pariatur, fieri non potest, quin angustias & dolorem summum sentias. Sed age, bono esto animo; nam post dolores illos æternum te manebit gaudium, eo quod talem in mundo hominem peperisti. Tum vero eum totum & penitus tibi pepereris, cum eum totum & in corde, & in operibus tuis, per vitæ imitationem efformaris, & expresseris.

Cum ægrotabis, omnes dolores, pœnas & languores tuos, ad DEI amorem, & obsequium offer: eumque roga, ut eos tormentis, quæ tui causa ipse subiit, unire, & conjungere dignetur. Obedi quoque medico, ipsaque medicamenta, cibos, & alia remedia, ex amore DEI, sumito, memor fellis, quod nostri causa ipse bibit, sanitatem non aliter recuperare velis, quam quo illi obsequium præstes; ne recuses etiam ægrotare, & pati, quo ei obedias, teque, si ita ei videatur, ad mortem dispone, quo in cœlis eum laudes, eoque fruaris. Memento, apes, quo tempore mellificant, comedere cibum quendam amarum; sic non posse nos unquam majoris suavitatis & patientiæ actus facere, aut melius excellentium virtutum mel componere, quam quamdiu panem amaritudinis comedimus, & inter angustias & passiones vivimus. Et sicuti mel, quod e thymi herbæ parvæ quidem, sed amarulentæ floribus confectum est,

omnium



omnium est præstantissimum; ita virtus, quæ in vilissimarum abjectissimarum, & contemptibilissimarum tribulationum amaritudine exercetur, omnium est excellentissima.

Oculis tuis interioribus sæpe contemplare JESUM Christum Crucifixum, nudatum, blasphemii saturatum, calumniis oneratum, ab omnibus derelictum, denique omni molestiarum, dolorum, tristitiarum, laborum genere oppressum, & considera, omnia tua tormenta, nec in qualitate, nec in quantitate ipsius tormentis posse comparari, nec unquam aliquid pro ipso te toleraturam, quin longe is plura pro te passus sit.

Considera quoque tormenta, quæ Martyres olim pertulere, nec non ea, quæ tam multi homines hodie patiuntur, multo sine ulla proportione graviora, quam illa, quæ tute pateris: & dicito, labores mei, meræ consolationes sunt, & pœnæ flores, si illas conferam cum pœnis eorum, qui sine ullo prorsus solamine, subsidio, alleviamento, in continua quadam morte vivunt, & afflictionibus infinite majoribus oppressi.

## CAPUT IV.

*De humilitate, quoad exteriora.*

V Ade, inquit Eliseus ad pauperulam quandam viduam: *Pete mutuo ab omnibus vicini-*

*nis tuis vasa vacua non pauca, & mitte ex oleo in omnia vasa hæc.* Ad gratiam DEI in animis nostris recipiendam, a vana illos gloria vacuos habeamus oportet. Tinnuculus avis, dum rapaces aves conspicit, vocem edit, itaque occulta quadam vi, & proprietate naturali eas perterrefacit: hinc eum columbæ præ omnibus aliis avibus diligunt, tutasque se arbitrantur, dum apud eum agunt. Sic humilitas Satanam repellit, gratiasque, & dona Spiritus Sancti in nobis conservat: hac de causa omnes Sancti, atque inprimis ipse Sanctorum Rex, & Caput Christus, quin, & Mater ipsius, illustrem hanc virtutem, inter omnes alias virtutes morales quam maxime semper honorarunt, & coluerunt.

Vanam gloriam voco eam, quam ipsi nobis, tum ob id, quod in nobis non est, tum vero & ob id, quod quidem nobis inest, tamen nostrum non est; tum etiam ob id, quod & in nobis, & nostrum est, at dignum non est, ut se quis propterea extollat, aut magnificet, attribuimus. Prosapiæ namque, & generis nobilitas, magnatum favor, honor popularis, in nobis non sunt, sed aut in prædecessoribus, aut in aliena æstimatione. Sunt, qui superbiant, seque magnifaciant, quod generoso equo insideant, quod cristam in pileo gestent, quod splendide vestiantur: at quis non videt, quanta hæc sit fatuitas? Si quæ enim

enim in hac re sit gloria, ea aut equo, aut avi pennatæ, aut sartori attribuenda. Et, quam vile, & abjectum est, famam ac gloriam suam equo, cristæ, aut vesti eleganti acceptam referre debere? alii gloriantur, & se circumspiciunt ob prostantes alas, & mustaces barbas, ob barbam accurate depexam, capillos crispas, manus mollicellas, quod scite tripudiant, ludant, cantent: sed an non hi inepti, & abjecti, quod celebrari, & aliquod reputationis suæ ac famæ incrementum a rebus adeo inanibus, & stolidis emendicare conentur? alii ob unciam unam scientiæ honorari, & coli ab omnibus volunt, tanquam si omnes eos ceu oraculum consulere, semper ab iis discere, & ipsos ceu magistros habere deberent: hinc non immerito Pedani vocitantur. Alii se jactant ac venditant, dum suam considerant pulchritudinem, putantque, se ab omnibus propter eam coli, & amari. Omnia hæc valde sunt vana, stolidas, impertinentia; & quæ a rebus adeo inanibus mutuatur, gloria vana, stulta, & frivola appellatur.

Verum bonum eodem agnoscitur modo, quo verum balsamum: balsami namque sinceritas cognoscitur, & probatur, cum id aquæ instillatur: si enim fundum petat, & ad imum tendat, ipsum purissimum, & pretiosissimum reputatur, sic, ut sciatur, num vere quis sapiens,



piens, doctus, generosus, nobilis sit, dispiciendum, num ejus opera humilitatem, modestiam, & submissionem spirent, tunc namque vera futura sunt bona, at, si supernatent, & eminere velint, bona sunt eo minus vera, quo magis apparere volunt. Margaritæ, quæ ad ventum, & tonitrui strepitum conceptæ, & nutritæ sunt, nudum tantum margaritarum corticem habent, nullam vero intus substantiam: sic virtutes, & præstantes hominum qualitates naturæque dona, quæ in superbia, ventositate, & vanitate conceptæ, & enutritæ sunt, nonnisi nudam boni apparentiam habent, introrsum succo, medulla, & soliditate sunt destitutæ.

Honores, tituli, nomina, gradus, & dignitates adinstar croci sunt, tunc melius crescentis, & lætius provenientis, cum pedibus conculcatur. Pulchrum esse, honorificum, & gloriosum non est, tunc, cum se quis obformam circumspicit, & ostentat: pulchritudo enim, ut gratiosa sit, & gratiam inveniat, negligi, nec curari debet: sic quoque scientia tunc nos dedecorat, & deturpat, cum nos inflat, & in pedanissimum sciolorum degenerat. Cum de gradu, sessione, titulo, & nomine nobis debito anxie laboramus, & tricamur, præterquam, quod qualitates & merita nostra aliorum examini, inquisitioni, & contradictioni exponamus, viles & abjectos nos red-

reddimus. Honor quippe, dum ultro offer-  
tur, & donatur, pulchrescit; sordescit vero,  
& turpis est, dum studio exigitur, ambitur,  
& quæritur. Pavo, dum oculatum penna-  
rum suarum orbem explicat, ut se circumspi-  
ciat, illas quidem spectandas exhibet, cæte-  
rum reliqua corporis parte exhorrescit, &  
quicquid turpe & deforme visu in eo habet,  
aliis spectandum ostendit. Flores pulchri sunt,  
dum in terra manent; at dum manibus con-  
trectantur, marcescunt. Qui mandragoram  
eminus in transitu olfaciunt, permultum ex  
ea fragrantia percipere dicuntur; qui comi-  
nus, & diu, præ stupore consopiantur, &  
morbum contrahunt: ita & honores suaves,  
& consolationi sunt, eos eminus, & leviter  
olfacientibus, nec afflictim & impense illos  
consectantibus, at iis sese maximopere ob-  
lectantibus in maximam infamiam, & dede-  
cus cedunt. Virtutis studium & amor nos  
reddere incipit bonos; at honorum consecta-  
tio, & ambitus, contemptibiles, & probro-  
sos. Hinc animi generosi, & bene nati, illas  
debitorum graduum, honoris, ac salutatio-  
num ineptias & nugas parvi faciunt, & ne-  
gligunt, hoc quippe nugacium & abjectorum  
hominum proprium est. Margaritas habere  
qui potest, non se onerat conchyliis; sic, qui  
solam virtutem spectant, de honoribus ne-  
quaquam laborant, aut solliciti sunt. Quis-

que certe debito sibi in gradu ac loco procedere, sedere, & manere potest, nec tamen propterea humilitatem violare, dummodo hoc non studio & affectate, sed negligenter, & sine ulla contentione fiat. Nam sicut, qui e terra Peruana in Europam redeunt, præter aurum & argentum, quod inde exportant, etiam simios, & psittacos, (quod parvo hi comparentur, ac magno navi sint oneri) secum ferunt: sic, qui ad virtutem aspirant, non propterea verentur, aut desinunt gradus & honores sibi debitos capere, dummodo hi ipsis magna cura, impensa, & contentione non constent, & sine aliqua turbatione, inquietudine, concertatione, & contentione res commode fieri possit, ut ipsi inde non graventur. Non tamen de iis hic loquor, quorum dignitas ad publicum refertur, & spectat; uti nec de particularibus quibusdam occasionibus, e quibus alia majoris momenti mala aut bona consequerentur. In his enim quisque, quod suum est, & sibi debetur, tueatur oportet, cum prudentia tamen & discretionem, quæ simul cum charitate, & urbanitate sit conjuncta.

## CAPUT V.

*De humilitate, quoad interiora.*

**D**esideras scio, Philothea, ut ulterius te in humilitatis via deducam: etenim ea, quæ



quæ dixi, facere, sapientia appellanda potius quam humilitas est, quare jam ulterius progredior. Multi acceptas privatim a DEO gratias recogitare, & considerare nec volunt, nec audent, metuentes, ne vanam ex iis sentiant gloriam, aut vane sibi ob eas complacent. In quo certe graviter errant. Nam quoniam, ut docet magnus ille Doctor D. Thomas, vera ad amorem Divinum pertingendi ratio, est penitior beneficiorum Divinorum consideratio; hinc quo eadem magis cognoscimus, & considerabimus, eo illum magis amabimus: & quia particularia beneficia longe potentius movent, quam publica, & communia; hinc illa etiam attentius consideranda, & perpendenda sunt. Nihil certe sic nos coram Divina misericordia humiliare potest, atque beneficiorum ab ea acceptorum multitudo; nihil quoque vice versa magis ante illius justitiam nos confundere, quam flagitiorum, & malefactorum nostrorum multitudo. Consideremus ergo, quidnam ipse nostri causa fecerit, & quid nos in ipsum deliquerimus; & dum nostra singillatim consideramus peccata, consideremus, pariter omnes & singulas ab ipso acceptas gratias. Metuendum porro non est, ne eorum, quæ nobis contulit, cognitio ullatenus nos inflat, superbire faciat, dummodo hanc semper veritatem præ oculis habeamus, nimirum, quid

quid in nobis est boni, id nos a nobis ipsis non habere. An ideo muli stupidæ, & foetidæ desinunt esse bestix, quod pretiosam, & odoratam Principis supellectilem tergo gestent? *Quid autem boni habemus inquit Apostolus, quod non accepimus? si autem accepimus, quid gloriamur, quasi non acceperimus?* Contra viva, & sincera gratiarum acceptarum consideratio nos reddit humiles: cognitio namque procreat recognitionem. Si vero, dum acceptas a DEO gratias consideramus, aliqua nos forte vanitas titillet, præsentissimum adversus hanc inanitatem, & gloriam remedium erit, ingritudines, imperfectiones, & miseras nostras ante oculos ponere: si nimirum consideremus, quidnam DEO a nobis absente fecerimus, facile agnoscemus, ea, quæ illo nobis præsentem facimus, a nobis non provenire, nec nostra esse. Vere quidem illis fruemur, & gaudebimus, quod ea habeamus: DEUM tamen solum, quia ipse illorum est author, glorificabimus, laudabimus. Sic B. Virgo Deipara ingenue quidem confitetur, DEUM illi magna fecisse, sed id non nisi ad sese humiliandum, DEUMque magnificandum. *Magnificat, inquit, anima mea Dominum, quia fecit mihi magna, qui potens est.*

Sæpe quidem dicimus, nos esse nihil, & ipsam miseriam, ac mundi putredinem & vomericam; doleremus vero, si quis in verbo nos

car-

carperet, & tales nos esse passim diceret, quales nos esse jactamus. Imo, velut fugam simulamus, & fiste nos abscondimus, ut alii deinde nos insequantur, & quæritent: ita nos gerimus, quasi ultimi esse, & in novissimo mensæ loco considerare velimus; sed non alio scopo, quam ut majore cum laude & compendio ad honoratissimum locum transire cogamur. Vera humilitas non fingit se humilem esse, aut ostendit; quin & pauca humilitatem spirantia verba proloquitur, etenim non alias solum virtutes tegere, & abscondere gestit, sed etiam, & præcipue, seipsam. Imo, si mentiri, fingere, vel proximo scandalum aliquod dare sibi liceret, quosdam arrogantia & præsumptionis actus ederet, ut sub iis se celaret, & sic plane incognita & occulta esset. Hoc ergo tibi hac in re consulo, Philothea, aut nulla humilitatis verba proferamus, aut vero internoque cum sensu, qui cum verbis eatenus prolatis conveniat, & respondeat, illa proferantur; neque oculos in terram dejiciamus, nisi simul corda nostra humiliemus; non denique simulemus, ostendamusque, ultimos nos esse velle, quin ex animo ultimi esse velimus. Hanc porro regulam adeo generalem duco, ut nullam eam pati exceptionem existimem: hoc duntaxat addo, ipsam urbanitatem exigere, ut potiores partes subinde deferamus eis, qui aperte

eas



eas accepturi non sunt, neque est id idcirco, aut duplicitas, aut falsa humilitas: nam tunc vel sola potioris loci oblatio, aliquod est honoris initium; cumque totum honorem iis cedere non possimus, non male certe facit is, qui illius principium dabit. Idem de verbis quibusdam honorificis, ac reverentialibus, alteri dictis sentio; quæ etsi in vigore, & a parte rei non videantur esse vera, satis tamen vera sunt, si ea proferentis animus veram eum, in cuius gratiam illa dicit, honorandi & colendi intentionem habeat. Licet enim ipsa verba quodam cum excessu & exaggeratione id, quod dicimus, significant; male tamen non facimus, dum ea usurpamus, cum communis usus a nobis exigit: tametsi, ut verum fatear, vellem, verba cum affectibus nostris & sensu, quam fieri potest, proxime coinciderent, quo ubique, & in omnibus, cordialem quandam simplicitatem & candorem præferremus. Qui vere humilis est, mallet, alius quis illum miserabilem, nihili ac nullius pretii hominem esse, diceret, quam ut ipse talia de se dicat: saltem, si ab aliis talia de se dici norit, minime iis contradicit, aut negat, sed libenter iis acquiescit; cum enim firmiter de se ea ipse credat, suæ opinionis & alios esse, & idem de se sentire, gaudet. Multi dicunt, mentalem orationem se perfectis relinquere, se enim minime dignos esse, qui

qui illam faciant : Alii idcirco se sæpius communicare non audere, quod se ad hoc satis puros non esse deprehendant; alii vero, ideo se a frequenti communione abstinere, quod vereantur, ne quam devotioni infamiam & probrum, ob magnam suam miseriam & fragilitatem, creent. Alii ideo talentum suum DEI & proximi servitio impendere recusant, quod non (ut dicunt) exhinc profectum sperent, vel quod metuant, ne, si boni alicujus causa sint & instrumentum, superbia ideo inflentur, & alios illuminando, ipsimet interim peccent, & consumantur. Omnia hæc ficta sunt & simulata, & humilitas non affectata tantum, sed & maligna, qua quis tacite & subtiliter sibi appropriare præsumit, quæ DEI sunt, aut saltem proprium suæ opinionis, humoris, & acediæ suæ amorem specioso quodam humilitatis velamine tegere conatur.

*Pete tibi signum a Domino DEO tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra*, ait Propheeta scelesto Regi Achab, cui hic respondet : *Non petam, & non tentabo Dominum.* Scelestus & impius, ecce, præfert quidem eatenus magna se erga DEUM reverentia ferri, & sub specioso quodam humilitatis prætextu recusat se, quo minus ad gratiam, ad quam Divina ejus bonitas illum invitat, aspiret. At non videt, quod, dum DEUS nobis gratificari vult, superbiæ sit, ejus dona & oblata recusare,

sare, & vice versa signum humilitatis, obedire, ac voluntatem, ac desiderium ejus quam possumus proxime sequi. Porro DEI voluntas ac desiderium est; ut simus perfecti, eique quam possumus proxime nos uniendo, & imitando. Superbus, qui in seipso tantum spem ac fiduciam collocat, magnam sane nihil aggreudiendi occasionem habet; at humilis eo est generosior, quo se impotentior agnoscit, & quia se miseriores existimat, eo fit audacior, & fortior, quod omnem suam fiduciam in DEO habeat, qui suam in nostra infirmitate omnipotentiam magnificare, & suam super nostram miseriam misericordiam extollere gaudet. Humiliter ergo & sancte aggrediendum est, quidquid ad profectum nostrum spectare, & expedire, animarum nostrarum directores judicabunt.

Cogitare, te scire, id quod nescis, aperta fatuitas est; fingere quoque, te scire, quod aperte nosti, te nescire, intolerabilis quædam vanitas est: æque vellem, nec simulare, me scire id, quod revera scio, uti nec contra, me ignorare, quod de facto ignoro. Cum ergo charitas exigit, proximo candide & amice communicandum est, non id solum, quod ad ejus instructionem absolute necessarium est, sed & quidquid ad ejus consolationem utile est, & expediens. Humilitas namque, quæ virtutes abscondit, & occultat, quo easdem



dem conservet, simul etiam eas exerit, & ostendit, (cum id charitas requirit) quo eadem adaugeat, amplificet, perficiat. Quae in re arbori illi, quae in insulis Tyli enascitur, per noctem rubicundos flores suos occludenti, & nonnisi sole exoriente eos recludenti (quos propterea insulani noctu dormire dicunt) similis esse videtur; sic namque humilitas omnes nostras virtutes & perfectiones humanas tegit, & operit, & nonnisi charitate exigente eas exerit, & prodit; quae cum coelestis sit virtus, non humana, non moralis, sed Divina, verus virtutum Sol est, in quas ipsa semper debet dominari, adeo, ut humilitates, quae charitati praedjudicant, haud dubie falsae sint.

Vellem me nec stolidum, nec sapientem ostentare: si enim humilitas me impedit, quo minus sapientem fingam, simplicitas certe & candor me impediunt, stoliditatem fingere, & cum vanitas humilitati contraria sit; artificium certe affectatio & simulatio, candori & simplicitati adversantur. Nam tametsi illustres quidam sancti stultitiam aliquando simularint, quo in mundi oculis abjectiores & viliores apparerent, hi tamen admirandi potius sunt quam imitandi. Quasdam namque ipsi rationes ad hunc excessum faciendum habuere, quae ipsis adeo peculiare & extraordinariae fuere, ut nullus ex illis pro se argumen-

mentari queat. Sic David Rex liberius & effusius paulo coram Arca foederis saltabat, & tripudiabat, quam ordinarium & commune decorum permetteret: non quod sic agere morionem vellet: sed simpliciter, native, & sine ulla affectatione, pro extraordinaria & excessiva, quam in corde suo sentiebat, alacritate motus hos exteriores edebat. Unde, cum uxor ejus Michol ipsum derideret, is in nativa, sincera, & vera gaudii sui expressione pergens, & perseverans, non parum se gaudere ostendit, quod pro nomine DEI sui aliquo modo vilipenderetur, & exhiberetur. Quamobrem, si propter aliquos veræ & sinceræ devotionis actus ab aliis vilis, abjecta aut fatua æstimeris, humilitas certe te ob beatum hoc opprobrium, cujus causa non tu, sed ipsimet exprobrantes & irridentes sunt, gaudere, & exultare faciet.

## CAPUT VI.

*Humilitas nostri ipsorum abjectionem, & vilipendentiam amare nos facit.*

**U**Lterius progredior, Philothea, & dico tibi, propriam te tui ipsius abjectionem, in omnibus, & per omnia debere diligere. At quid sibi vult, inquires, tui ipsius dilige abjectionem? abjectio idem apud Latinos sonat, quod humilitas, & humilitas idem, quod abjectio adeo

adeo ut, cum B. Virgo in Sacro suo Cantico dicit, ideo se ab omnibus generationibus Beata[m] dicendam, quod *ancilla suae humilitatem Dominus respexisset*, dicere, & significare velit, Dominum ideo abiectionem, vilitatem, & parvitatem suam benigne, & grateranter considerasse, quo eam gratis, & favoribus cummularret.

Aliqua tamen est inter virtutem humilitatis, & abiectionem differentia: abiectio namque est ipsamet parvitas, & vilitas, quæ etiam non cogitantibus nobis in nobis est, at virtus humilitatis vera abiectionis nostræ cognitio, & voluntatis agnitio est. Porro humilitatis hujus apex, & pars dignissima in eo sita est, ut non solum ultro, libenter, & voluntarie abiectionem nostram agnoscamus, in eaque nobis complaceamus: idque non ex aliquo animi excelsi, aut generositatis defectu, aut inertia, sed ut Divinam Majestatem eo magis exaltemus, & proximum nostri ipsorum respectu pluris faciamus. Atque hoc est, ad quod te exhortor, quod ut melius intelligas, noris oportet, inter ea, quæ patimur mala, alia esse abjecta, alia aliquo cum honore conjuncta, multi quidem malis honorabilibus se accommodant, sed vix ullus abjectis. Occurrat pius aliquis anachoreta, pannosa, & detrita in veste, & præ frigore rigescens: omnes vestem ejus detritam honorant, & to-



lerantiæ ejus compatiuntur, ac si pauper aliquis operarius, vir nobilis pauper, aut domicella pauper tali in schemate appareant, videntur, iridentur; itaque paupertas eorum abjecta est. Religiosus aliquis a suo Superiore, aut filius quispiam a patre, durioribus verbis corripitur; omnes hoc mortificationem, obedientiam, & sapientiam esse dicent; vir nobilis, & domicella quæpiam, idem contumeliæ, & amariorum verborum genus ab alio datum patientur; &, quamvis ex amore DEI id æquanimiter tolerant, omnes tamen id inertiam, & ignaviam esse dicent. Ecce, & aliud abjectum malum. Laborabit scædo quispiam cancro in brachio, alius vero in vultu, ille non nisi malum, & morbum suum habet, hic vero præter malum, etiam contemptum, aversionem, & abjectionem aliorum patietur. Dico erga jam, non solum malum ipsum esse diligendum (quod per virtutem fit patientiæ) sed & abjectionem amandam, quod per humilitatis virtutem fiet.

Ad hæc, virtutum aliæ abjectæ, aliæ honorificæ, & cum aliquo honore conjunctæ sunt, sic patientiam, mansuetudinem, simplicitatem, & hanc ipsam humilitatem, mundani ut viles, & abjectas reputant, contra prudentiam, generositatem, fortitudinem, & liberalitatem permagni faciunt. Præterea unius & ejusdem virtutis actiones, aliæ sunt contempt-

temptiles, aliæ honorabiles, sic eleemosynam dare, & injurias remittere, duo sunt charitatis actus. Primus ab omnibus honoratur, & magnificatur; alius in oculis hominum contemptibilis apparet. Adolescens quoque, aut puella ingenua, qui in sodalitia aliquo dissoluta, reliquorum dissolutionem, & effrenem in loquendo, ludendo, tripudiando, potando, vestiendo effusionem non sequentur, ab aliis exhibebuntur, & notabuntur, eorumque modestia aut hypocritica pietas aut affectatio vocabitur, hoc porro diligere, & sequi, suam est diligere abjectionem. En tibi, & aliud exemplum, si, dum plures ad ægros, morbosos invisendos mittimur, ego putissimum, & pessime affectum visitare jubear, abjectio quædam id mihi secundum sæculi judicium erit; quamobrem illam amabo: si vero ad majoris nominis, & digniores ægros mittar, quædam id est secundum spiritum abjectio, quoniam tantum virtutis ac meriti in eo non latet: quare aliam illam abjectionem quæram. Si in plateis quis prolabatur, præter dolorem, etiam aliquam subit infamiam; quare illam abjectionem diligere oportet.

Imo vero, etiam imperfectiones quædam sunt, in quibus præter ipsam abjectionem nullum omnino continetur malum. Cæterum non exigit humilitas, ut expresse, & dato studio committantur, requirit tamen, ne quis,

dum eas forte commisit, propterea multum turberetur, aut sese inquietet, hujusmodi sunt leviculæ quædam ineptiæ, incivilitates, & inadvertentiæ; quæ sicuti vitandæ, & cavendæ sunt, antequam committantur, quo civilitati, & prudentiæ mos geratur, ita dum jam admissæ sunt, ferenda abjectio est, quæ inde nobis provenit, eaque ultro, quo sanctam humilitatem sequamur, acceptanda. Ad-do ulterius, si forte ex iracundia, aut dissolutione quadam, in indecentia verba proruperim, quibus & DEUS, & proximus offendatur, illorum summopere me mox pœnitebit, & ob offensam illam extreme dolebo, daboque operam, ut quam possum optime, eam resarciam; abjectionem nihilominus, & contemptum, qui inde me sequitur, æquo animo subibo, & sustinebo, & , siquidem unum ab altero disjungi posset, peccatum ferventer a me abdicarem, & abjectionem humiliter retinerem.

Verum esto, abjectionem, quæ nobis malo ipso sequitur, diligamus, nihilominus malo, quod eam causavit, per omnia, quæ ad hoc propria, convenientia, & legitima sunt media, medendum est. Si abjectum aliquod in vultu ulcus aut malum habeam, operam quidem dabo, ut ipsum a medico curetur, ita tamen, ut abjectionem, quam inde recepi, oblivioni non tradam. Si quid factò admisit, quod



quod neminem læsit aut offendit, meipsum propterea non excusabo: nam esto defectus quidam & imperfectio sit, non est tamen permanens, poteram ergo me excusare, nisi esset propter abjectionem inde mihi proveniente: verum humilitas id non permittit. At si inadvertenter, aut e levitate quadam aliquem offendi, aut scandalizavi, vera aliqua excusatione offensam reparabo, eo quod malum permanens sit, & charitas ad illud delendum, & eluendum me obliget. Cæterum requirit interdum charitas, ut ad proximi, cui reputatio, & bonum nostrum nomen necessarium est, bonum, ipsam etiam abjectionem impedire, & tollere procuremus: sed hoc in casu abjectio nostra ab oculis proximi est submovenda, & tollenda, ad ejus scandalum impedendum; at proprio cordi includenda, & intra illud abscondenda, ut sic ipse ædificetur.

At nosse forsitan cupis, Philothea, quænam optimæ sint abjectiones: dico ergo tibi aperte, eas inter omnes, & animæ utilissimas, & DEO gratissimas esse, quæ nobis fortuito, & casu, aut a vitæ nostræ statu, & conditione accidunt; quod ipsi eas non elegerimus, aut quæsierimus, sed eas tales admiserimus, quales eas DEUS nobis immisit, cujus electio melior est, quam nostra, si enim facienda sit electio, majores haud dubie meliores sunt, eæ autem majores reputantur, quæ inclina-

tionibus, & propensionibus nostris magis adversantur, ac repugnant, dummodo statui, ac professioni nostræ conformes sint. Nam, ut semel in genere loquar, nostra electio & optio omnes prope virtutes destruit, & imminuit. Quis porro nobis det, ut cum magno illo Rege dicere possimus: *Elegi abjectus esse in domo DEI mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum?* Nullus alius id nobis dare potest, charissima Philothea, quam qui, quo nos exaltaret, ita vixit, & mortuus est, ut fuerit *opprobrium hominum, & abjectio plebis*. Multa tibi dixi, quæ dum animo tantum perolves, & considerabis, dura tibi, & gravia videbuntur, at ubi ad praxim ea rediges, & opere exequeris, saccaro, & melle, mihi credas velim, dulciora tibi videbuntur.

## CAPUT VII.

*Quomodo humilitatem exercendo, famam tamen & bonum nomen tueri oporteat.*

**N**ON ob simplicem aliquam virtutem homines vulgo laudantur, extolluntur, honorantur, ac gloria afficiuntur, sed ob excellentem & egregiam. Etenim per laudem, aliis persuadere, & inducere volumus, ut aliquorum excellentiam magni faciant, per honorem ostendimus, & significamus, nos etiam illam magno in pretio habere. Gloria porro aliud,

aliud, meo quidem iudicio, non est, quam quidam reputationis fulgor & splendor, e pluribus laudibus & honoribus conjunctis resultans. Adeo, ut honores & laudes velut geminae sint, e quarum copia & abundantia gloria velut vermiculatio quaedam procedit. Porro, sicut humilitas ferre nequit, ut aliquo modo nobis ipsi persuadeamus, nos aliis hominibus excellere, aut praeferrri debere, ita quoque permittere nequit, ut aliquam laudem, honorem & gloriam, quae soli excellentiae debentur, ambiamus: esto consilium Sapientis, suadentis ut famae nostrae curam & rationem habeamus, non improbet, sed sequatur. Bona namque fama & nomen, aestimatio quaedam est, non alicujus excellentiae, sed tantum simplicis & communis cujusdam probitatis & integritatis vitae, quam ut in nobis ipsis agnoscamus, humilitas non impedit, uti nec consequenter quo minus reputationem nostram quaeramus. Humilitas quidem, fateor, famam non curaret, sed contemneret, si charitas ea opus non haberet: sed quia haec e societatis humanae fundamentis unum est, & sine ea publico non inutiles solum, sed & noxii sumus, propter scandalum videlicet, quod inde communitati consequitur, hinc charitas requirit, & humilitas non improbat, ut eam & quaeramus, & quam diligentissime conservemus.



Præterea quemadmodum frondes arborum, quæ ex seipsis satis viles & parvi pretii sunt, ad multa tamen utiles sunt, non solum videlicet ad eas condecorandas, sed etiam ad earum fructus, quamdiu teneriores sunt, adversus exteriores injurias conservandos: sic bonum nomen & fama, esto per se non magni pretii & valoris sit, nihilominus maximam adferre utilitatem solet, quia non solum ad vitæ nostræ ornatum, verum etiam ad virtutum nostrarum, præsertim dum eæ adhuc teneræ & fragiles sunt, conservationem defensionemque mire faciat. Nominis & famæ nostræ conservandæ, ut nimirum tales simus, quales vulgo esse credimur, obligatio animum generosum potenti simul & suavi violentia cogit. Conservemus, charissima Philothea, virtutes nostras, quod Deo, qui summum & supremum omnium operum nostrorum objectum est, sint acceptæ: sed quemadmodum fructus æstivales in hiemem conservare studentibus satis non est, eos faccaro condire, sed præterea thecis & vasculis quibusdam, iisdem conservandis accommodatis, eos includunt: pari modo, esto primarius virtutum nostrarum conservator & custos sit amor Divinus, nihilominus bonum nomen & famam, tanquam ad hoc cumpri-  
mis utile & conveniens, huc etiam impendere, & adhibere possumus.

Videndum tamen, ne in hujus conservatione nimis ferventes, exacti & scrupulosi simus: qui enim in fama & nomine suo conservando adeo studiosi & attentissimi sunt, similes haud dubie sunt iis, qui etiam in minima indispositione & incommodo corporis medicamenta sumunt, hi namque dum valetudinem suam conservare, & tueri se putant, eam potius de facto destruunt; sic illi, dum famam suam tam accurate & delicate tueri gestiunt, eam prorsus amittunt: etenim per nimiam hanc famæ curationem litigiosi, tetrici, & aliis intolerabiles fiunt, & detrahentium malignitatem provocant.

Ipsa injuriæ calumniæque dissimulatio & contemptus ut plurimum magis ad eas obtinendas & curandas juvat, quam earundem sensus, pervicax in contrarium contentio, & earum vindicta: contemptus quippe facit, ut mox evanescant; & si quis propter illas indignetur, se illas approbare, & veras esse fateri ostendit.

Crocodili non nocent, nisi metuentibus, sic nec detractio, & maledicentia aliis, quam ob eam indignantibus, ac sese torquentibus.

Immoderatus famæ perdendæ timor magnam de fundamento ejusdem (quod est, bonæ vitæ veritas) diffidentiam ostendit. Civitates, quæ super latissima flumina non nisi ligneos pontes habent, timent, ne ad eorundem

dem inundationem vorticibus aquarum abripiantur; at, quæ lapideos, nonnisi extraordinarias inundationes timent; sic, qui animam solide Christianam, & bene fundatam habent, ut plurimum nullos linguarum virulentarum excessus & inundationes metuunt: at, qui se fragiles sentiunt, ad quodlibet verbum tribulantur, & inquietantur. Sane quisquis bonum apud omnes nomen habere, & reputationem satagit, ipsam apud omnes contra amittit, & ille honorem perdere dignus est, qui ipsum mutuari vult ab iis, quos vitia vere infames & probrosos reddunt.

Fama & reputatio nonnisi velut intersignium est, e quo agnoscat, & colligatur, ubinam virtus habitet: unde virtus in omnibus, & per omnia, præferenda est. Quapropter, si eo, quod te devotioni applices, homines te, ut hypocritam reputent; si, quod offensam offendenti remiseris, ignavum & pusillanimum, omnia hæc flocci pende. Nam, ut taceam, hæc iudicia ab hominibus stolidis & stultis fieri, etiamsi famæ jactura facienda esset, non tamen idcirco deserenda esset virtus, nec ab illius semita declinandum; quod fructum frondibus, id est, interius & spirituale bonum bonis omnibus exterioribus præferri par sit, famæ nostræ nos oportet zelatores esse, non idololatrias, & sicut oculum bonorum non debemus offendere, ita nec velle  
pla-



placere improborum. Barba decus & honestamentum formæ virilis est, capillitium & coma faciei mulierum. Si quis ergo a mento pilos, & comam a capite eis revellat, ægerime repullulabunt, at si duntaxat detondeantur, facillime postea, & spissiores quidem & fortiores recrescent. Pari modo, esto fama præscindatur, imo etiam de facto radatur a lingua maledici (quæ, ut Propheta loquitur, adinstar acutæ novaculæ est) non est, quod inde ullo modo turbemur, etenim ipsa non multo post repullulabit, non solum tam illustris, quam erat prius, verum etiam solidior & potentior; at, si a vitiis, inertia, & improba vita nostra, fama & bonum nomen nobis evellatur, & auferatur, vix unquam renasci, & reparari poterit, radice nimirum ejus evulsa. Famæ autem radix, est bonitas & probitas, quæ quamdiu in nobis vivet, semper honorem, qui ei debetur, reproducere potest.

Vana illa conversatio, inutile illud contubernium, nugacula illa amicitia, stulta illa familiaritas relinquenda sunt, quod famæ detrimentum adferant. Pluris quippe valet fama, quam quælibet inanis recreatio & voluptas. At, si ob pietatis studium, progressum in devotione, & boni æterni curam & consecrationem nobis homines detrahant, murmurent, & calumnientur, sinamus molossos  
illos

illos ringentes adversus Lunam latrare. Etenim licet sinistram aliquam contra reputationem & nomen nostrum opinionem excitent, itaque famæ nostræ barbam & capillos velut proscindant, imo & nudent, non est tamen, quod turbemur: brevi quippe eadem renascetur, & maledicentiæ detractioque novacula honori nostro præstabit id, quod falcula vineæ, quam feraciorem & botris onustiore reddat.

In JESUM Christum Crucifixum oculos nostros identidem conjiciamus: cum fiducia, & simplicitate, sapienter, & discrete tamen, in ejus obsequio ambulemus: ipsæ famæ nostræ protector, & custos erit, & si quidem eam nobis eripi permittat, non id aliter permittet, quam ut nobis eam meliorem reddat, vel in sancta nos humilitate, cujus vel una uncia pluris valet, quam mille honorum libræ, proficere, & progredi faciat. Si injuste, & immerito sugillamur, calumniæ veritatem placide velut clypeum objiciamus, si nihilominus illa perseveret, nec dissipetur, nos quoque in nobis humiliandis perseveremus, famam nostram simul, & animam in DEI manus resignantes: neque enim tutiori eam asylo, & templo concedere possemus. Serviamus DEO, *per infamiam*, & *bonam famam*, ad imitationem Apostoli, ut cum Psalmista dicere possimus: *Propter te, DEUS meus,*

meus, sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.

Quædam tamen hic excipio flagitia, & crimina, adeo certe atrocia, & infamia, ut, dum quis ea juste a se amoliri potest, calumniam eorum sustinere, ac ferre æquanimiter non debeat: nec non certas quasdam personas, a quarum bona fama, & nomine plurimorum pendet ædificatio. Hoc quippe in casu fama est pacifice, ac tranquille ab injuria, juxta Theologorum sententiam, vindicanda.

## CAPUT VIII.

*De mansuetudine, & benignitate erga proximum, & optimo adversus iracundiam remedio.*

SANCTUM Chrisma, cujus ex Apostolica traditione, in Ecclesia DEI, quoad confirmationes, & benedictiones usus est, ex oleo olivarum balsamo intermixto compositum est: quod inter alia multa duas illas dilectissimas, & charissimas, quæ in Sacra JESU Christi humanitate resplendebant, quasque ipse peculiari quodam modo nobis commendavit, perinde, ac si per easdem specialiter cor nostrum servitio ejus consecrari, & imitationi ejus addici deberet, virtutes repræsentat: humilitatem, inquam, & mansuetudinem, unde,



de, *discite*, inquit ipse, *a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Humilitas quippe nos perficit quoad DEUM, mansuetudo quoad proximum. Balsamum, quod (sicuti jam supra ostendi) inter omnes liquores semperimum petit, typus est humilitatis, & oleum olivarum, quod semper supernatat, benignitatis, & mansuetudinis, utpote quæ omnia superat, & inter virtutes omnes principatum tenet, cum charitatis (quæ juxta D. Bernardi sententiam tum demum perfecta, & absoluta est, quando non solummodo patiens est, sed & benigna, & mansueta) flos, & nucleus sit.

Sed vide, mea Philothea, ut mysticum hoc chrisma, ex mansuetudine simul, & humilitate compositum in corde tuo habiter. Etenim in hoc versutus cacodæmon quam maxime intendit, ut multi duas has virtutes non nisi ore, & verbis tenus, & exteriori quadam specie, & superficie consecutentur: qui cum affectus suos interiores non bene examinent, sese, & humiles, & mansuetos esse credunt, cum revera, & defacto nec sint humiles, nec mansueti. Quod & ad oculum cernere est, nam non obstante exteriori, & umbratica ac fucata illa mansuetudine, si vel minimum verbum displicens audiant, & vel minimam injuriam recipiant, illico eos arrogantia, & fastu incredibili effervescente,

& intumescere videbis. Ferunt, eos, qui antidoton illud, quod vulgo *unguentum S. Pauli* vocatur, sumpsere, a vipera morsos, & punctos, non intumescere, & inflari, dummodo unguentum illud bonum, sincerum sit: pari modo, cum humilitas, & mansuetudo sincera sunt, nec fucata, a tumore, & ardore, quem injuriæ in animis nostris provocare plerumque solent, nos tuentur, at, si a maledicis, & inimicis læsi ac morsu, excandescimus, turgescimus, & indignamur, signum est, humilitates, & mansuetudines nostras non veras, & sinceras, sed fucatas duntaxat, & hypocriticas esse.

Sanctus, & illustris ille Patriarcha Jacob, fratres suos ex Ægypto ad patrios lares remittens, hoc solum præceptum iis dedit: *Ne irascimini in via.* Idem tibi dico, & moneo, Philothea: ærumnosa hæc & misera vita non nisi via est ad beatam, & sempiternam; in via ergo alter alteri non irascamur, & in turba fratrum, & sociorum nostrorum mansuete, pacifice, & amice semper incedamus. Imo plane, & sine ulla exceptione tibi dico: ne irasceris omnino, si fieri potest; nec sub quocunque demum prætextu cordis tui januam iræ aperiās. Diserte namque S. Jacobus, & sine ulla restrictione ait: *Irām viri justitiam DEI non operari.* Non nego tamen, quin constanter, & fortiter malo resistendum sit,

sit, vitia quoque eorum, qui nostræ curæ  
 concediti sunt, acriter coarguenda, suaviter,  
 & blande tamen id fiat oportet. Nihil  
 elephantem iratum ita evincit, quam agni  
 conspectus, & nihil ita facile tormentorum  
 bellicorum vim, & impetum elidit, atque  
 lana constipatos. Correctio, quæ e passio-  
 ne evenit, esto cum ratione coincidat, &  
 consonet, non adeo solet probari, atque il-  
 la, quæ nonnisi a ratione nascitur. Anima  
 namque rationalis cum naturaliter rationi  
 subjecta sit, passioni nonnisi per tyrannidem  
 subjecta est: hinc cum rationem comitatur  
 passio, exosa est, quod justum ejus imperi-  
 um ipsa passionis tyrannis minoris auctori-  
 tatis reddat. Tunc Principes subditos suos ma-  
 ximopere honorant consolantur, quando cum  
 pacifico comitatu eos visitant, & adeunt, at,  
 cum exercitus armatos secum ducunt, esto ad  
 bonum publicum ii referantur, illorum adven-  
 tus displicet; nam, tametsi disciplinam mili-  
 tarem exacte inter milites servari jubeant;  
 tamen non ita cavere suorum indemnitati  
 queunt, quin semper aliqua committatur in-  
 solentia, quæ in innocentis alicujus damnum  
 tendat. Pari modo, quamdiu leniter regnat  
 ratio, castigationes, & reprehensiones suas  
 benigne depromit, esto eæ rigidæ sint, nemo  
 non eam amat, & approbat, at, cum iram,  
 choleram & bilem, quæ (ut ait S. Augustinus)

ejus



ejus sunt milites, secum trahit, terribilem se reddit potius ac metuendam, quam amabilem, quin imo etiam proprium cor ejus semper inde opprimitur, & male habetur. Satius est, ait idem Augustinus Epistola ad Profuturum, omnem iræ etiam justæ, & rationi consentaneæ, aditum occludere, quam eam, quantumvis parvam, intromittere. Semel enim admissa quam difficillime potest expelli, ingreditur surculus, sed in momento in trabem excrescit, & magnescit, si vel una apud nos stabulari nocte queat, & *Sol super iracundiam nostram occidat*, (quod ne fiat, Apostolus monet, & vetat) ita ut in odium convertatur, nulla prope ejus expellendæ suppeditatio; alitur quippe mox sexcentis falsis persuasionibus & opinionibus, nunquam enim ullus iratus iram suam putavit injustam esse.

Satius ergo est, conari prorsus sine ira vivere, quam sapienter, & moderate eandem regere nosse velle; cumque aliqua ex imperfectione aut fragilitate nos ab eadem occupatos videbimus, melius est, eam quantocyus a nobis rejicere, quam cum illa negotiari, & pacisci velle, nam quantumvis parum otii ei concedamus, & moræ, plenum loci mox illa dominium occupat, & serpentem colubrum imitatur, illuc facile totum corpus insinuans, quo caput potuit immittere. At

mum eam senties, & percipies, Philothea, vires tuas omnes prompte recolligas oportet, non quidem violenter, & impetuose, sed suaviter, serio tamen. Nam sicuti in multorum Senatum ac Parlamentorum audientiis fieri videmus, ut apparitores, & accensi clamantes: *Silentium!* plus clamoris, & vocis cieant, quam quos tacere jubent: sic & sæpe contingit, ut, dum impetuose, & violenter iram nostram cohibere volumus, majorem in animo turbationem, & motum excitemus, quam is forsan in ira habuisset: unde ipse ita turbatus, & concitatus, exinde sui dominium recuperare nequit.

Post suavem hanc violentiam adhibitam, practica consilium illud, quod S. Augustinus jam senex Alexio Episcopo, sed juniore, olim suggessit: *Fas*, inquit, *omne, quod homini faciendum est.* Si deinde forte tibi accidat, quod vir secundum cor DEI de se ipso in Psalmis fateatur. *Turbatus est a furore oculus meus; ad DEUM confuge, & dic: Miserere mei DEUS; quo suam ille ad iram tuam reprimendam dexteram extendat.* Dicere volo, opem DEI nobis implorandam esse tum, cum ab ira nos occupatos videmus, ut Apostoli, tempestate, & ventis in mari medio jactati, auxilium Domini invocarunt: ipse namque passionibus nostris imperabit, ut se remittant, moxque in animo nostro fiet tranquillitas magna. Sed hoc nihilo-

hilominus te moneo: orationem, quæ adversus iram præsentem, & jam nos opprimentem, adhibetur, suaviter & tranquille, non autem violente adhibendam esse, quod & in omnibus aliis, quæ adversus hoc malum usurpantur, remediis observandum est.

Ad hæc, statim ac aliquem actum advertaris te commisisse, aliquo mansuetudinis ac mititatis erga illum, contra quem indignaris, quam promptissime exercito actu, errorem illum reparare stude. Nam sicuti præsentissimum contra mendacium remedium est, statim, & adhuc ipso in loco, quamprimum atque advertimus, nos esse mentitos, dictum revocare; ita etiam optimum contra choleram remedium est, eam contrario mansuetudinis ac benignitatis actu quantocyus refarcire, nam, ut dici vulgo solet, facilius curantur vulnera recentia, quam inveterata.

Præterea, cum jam tranquilla es, nullamque irascendi occasionem habes, egregie tibi tunc de mansuetudine, & benignitate prospice; fiet id, si omnia verba tua quam poteris mansuetissime, & suavissime proferas, & opera tua omnia, parva juxta ac magna, placidissime exequaris.

Memento, Sponsam in Canticis non solum habere mel in labiis, & in linguæ extremitate, verum etiam sub lingua sua, id est, in pectore: nec mel tantum, sed etiam lac ha-



bere: nam non solum verba, & os erga proximum dulce, sed, & universum pectus, & animum interiorem mansuetum habere nos oportet; nec mellis tantum, quod & aromaticum est, & odoriferum, dulcedinem, id est, civilis conversationis cum externis suavitatem, sed & lactis: ut videlicet inter domesticos, & proximiores vicinos, benignos nos ostendamus. In quo graviter sane peccant illi, qui foris, & in platea Angelis similes videntur, & domi, atque intra privatos parietes cacodæmones sunt.

## CAPUT IX.

### *De mansuetudine erga nos ipsos.*

**I**Nter bonas mansuetudinis, quas exercere possimus, praxes, & actus non postrema est illa, cujus materia in nobis ipsis consistit, ne scilicet unquam contra nos ipsos, aut imperfectiones proprias indignemur. Tameñ enim æquum sit, & ratio requirat, ut, dum delictum aliquod committimus, illud nobis displiceat, & illius causa contristemur; videre tamen debemus, ne nimiam, indignabundam, amarulentam ac stomachabundam displicentiam habeamus. In quo permulti graviter errant; qui cum ab ira occupati fuere, irascuntur sibi, quod irati fuerint, adversum se stomachantur, quod stomachati sint, & succen-

consent, quod succensuerint: hac quippe ratione, animus illorum in ira quodammodo coquitur, & velut ab ea imbibitur, & esto secunda ira primam tollere, & extinguere videatur, hæc tamen januam, & aditum patefacit, per quam nova, prima data occasione, ira in animum ingrediatur, & penetret. Ut taceam choleras, indignationes, & amarulentias has, quibus nobis ipsi indignamur, superbiam quandam spirare, & nonnisi a philautia, & nostri ipsorum amore, turbante, & inquietante se, quod imperfectos nos videat, ortum habere. Talem ergo errorum, & imperfectionum propriarum displicentiam habere nos oportet, quæ pacifica sit, serena, & solida. Nam sicuti iudex tunc melius maleficos castigat, cum sententiam ex ratione, & in spiritu tranquillitatis profert, quam dum eam impetuose, & e passione depromit, quia dum e passione sententiam pronunciat, scelera, & delicta non pro ipsorum quidem qualitate, sed prout ipsemet in animo constitutus est, castigat: ita melius nos ipsi per tranquillitas, & constantes, quam per amarulentas, & indignabundas contritiones, & dolores castigamus, quod impetuosæ illæ non pro peccatorum nostrorum gravitate, sed prout inclinati sumus, plerumque fiant; v. g. qui bene erga castitatem afficitur, incredibili quadam animi amaritudine adversus minimum

contra illam admissum delictum ac defectum indignabitur, & ob gravem quandam, qua alteri detraxerit, detractionem in risum dissolvetur. Et vice versa, qui detractionem omnem detestatur, mire se torquebit, & affiget, quod vel parum alterius honori detraxerit; & grave quoddam contra castitatem flagitium admissum pro levi, & nihilo reputabit: atque ita de reliquis, quod non alia de causa fit, quam quod de conscientia sua, non e rationis præscripto, & dictamine, sed e passione sententiam ferant.

Mihi crede, Philothea, sicuti correptiones patris alicujus leniter, & affectuose factæ, longe sunt ad filium corrigendum potentiores, quam amaræ illæ, & iracundæ: ita, si postquam cor nostrum aliquod peccatum admisit, id correptionibus suavibus, & tranquillis, ac plus compassionis in illud, quam passionis, & indignationis includentibus, reprehendamus, ipsum ad ejus emendationem extimulando, dolor sane, quem inde concipiet, longe profundius ingredietur, ac melius penetrabit, quam indignabundus, iracundus, & impetuosus.

Ego certe, si (verbi gratia) summopere afficerer, ne in aliquod vanitatis vitium incidere, & nihilominus turpi quodam lapsu in ipsum incidissem, hoc certe modo cor meum reprehendere, & objurgare nollem.



Næ tu miserum, & abominabile es, quod nimirum post tot proposita facta a vanitate te abripi siveris: morere præ confusione; morere, noli posthac oculos in cœlum sustollere; ah! cœlum impudens, perfidum! & alia id genus. Sed vellem id rationabiliter, velut ei compatiendo, corrigere: ah infelix cor meum! in fossam, quam toties evitare proposueramus, jam præcipitavimus. Eja ergo surgamus, ipsamque in æternum deseramus, & misericordiam Domini imploremus, inque illo speremus, fore videlicet, ut ille nos adjuvet, quo in posterum in proposito constantiores simus, & in humilitatis viam jam redeamus. Age dum igitur, jam ex hoc die nobis caveamus, & advigilemus. DEUS nobis aderit. Melius ergo sic faciamus; & super hanc reprehensionem solidum & firmum quoddam propositum non amplius in id delictum incidendi, inædificare vellem, convenientia ad hoc media, nec non directoris mei consilium, admittere parata.

Quod si forte quis per lenem hanc & placidam correptionem non satis emoveri cor suum videat, addere poterit, & exprobrationem ac reprehensionem quandam acrem & vehementem, quo ipsum ad profundiorum confusionem excitet, dummodo, postquam id objurgavit, ac sugillavit acerbius, lenius finiat, omnem suum dolorem & iram suam in

sancta quadam in DEUM fiducia terminando, in imitationem videlicet illustris illius poenitentis, qui animam suam afflictam & dolore prostratam videns, hoc eam alloquio sublevabat: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in DEO: quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & DEUS meus.*

Suaviter ergo & leniter cor tuum, jam lapsum, subleva, insigniter te coram DEO, eo quod miseriam tuam ad oculum videas, humiliando, nec ob lapsum tuum adeo te consternando: quid enim adeo mirum & mirandum, infirmitatem infirmam esse, fragilitatem fragilem, & miseriam miseram? Ex toto tamen corde & viribus tuis offensam & injuriam, quam DEUS Opt. Max. a te recepit, detestare, & magna quadam cum generositate, deque misericordia ejusdem fiducia, in virtutis, quam dereliqueras, viam redi.

## C A P U T X.

*Negotia diligenter quidem, non tamen anxie, & sollicitè nimium gerenda sunt.*

**C**ura & diligentia, quam in rebus ac negotiis nostris gerendis adhibere debemus, longe certe differunt a sollicitudine, anxietate, & turbatione. Angeli salutis nostræ curam gerunt, eamque diligenter procurant, at non pro-

propterea solliciti, anxii, & impetuoſi ſunt: cura namque & diligentia ad ipſorum pertinent charitatem, ſollicitudo vero, anxietas, & turbatio, illorum beatitudini adverſarentur: cum cura & diligentia queant cum tranquillitate, & quiete ſpiritus conſiſtere, non autem ſollicitudo & anxietas, & multo minus impetuoſa turbatio.

In omnibus ergo rebus ac negotiis, curæ tuæ concreditis, eſto, Philothea mea, diligens & ſedula; cum enim tibi DEUS illa crediderit, & fiſus ſit, vult illa te diligenter curare, ſed, ſi quidem fieri poteſt, noli propter illa nimis eſſe anxia aut ſollicita, id eſt, cum inquietudine, anxietate, & ardore ea non agrediariſ, nec in iis exequendis multum turberis, aut ſatagas: omnis namque turbatio rationem & iudicium perturbat, imo vero impedimento nobis eſt, ne rem, quam agere volumus, bene, & prout oportet exequamur.

Quando Dominus Martham reprehendebat, dicebat: *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris circa frequens miniſterium.* Viden, ſi tantum diligens & ſedula fuiſſet, minime ſe turbaret, ſed quia ſollicita erat & inquieta, hinc turbatur, & anxiatur. Et in hoc Dominus reprehendit eam. Flumina, quæ leniter per planitiem æquam feruntur, ingentes & vaſtas ferunt naves, & pretioſas merces: pluviæ, quæ



quæ leniter & guttatim in agrum cadunt, herbis & granis eum abundare faciunt: at torrentes, & flumina, quæ impetuose aquarum vorticibus per terram abripiuntur, vicina loca destruunt, & mercibus vehendis incommoda sunt, uti & nimbi velut ruentes ac præcipites, agros & prata devastant. Nunquam aliquod negotium cum impetu, & turbatione quadam peractum, bene factum fuit. Lente (ut vetus ait proverbium) festinandum est: *Qui*, ut Salomon asserit, *pedibus est festinus*, in periculo est, ne pedem offendat. Semper satis cito facimus, si satis bene, fuci majorem quidem strepitum cient, & turbatiores sunt quam apes, at ceram duntaxat, non autem mel conficiunt, sic, qui sollicitudine nimia & ardenti, & strepera anxietate negotia sua agere allaborant, vix quidquam agunt, & quod agunt, non bene.

Muscæ, non vi sua & vehementia, sed confusa multitudine sua nobis admodum sunt molestæ: sic magna negotia non adeo nos perturbant, atque parva, cum nimirum ea frequentia & multa sunt. Quæ ergo curanda & expedienda tibi advenient negotia, quiete ac tranquille suscipe, & ordinatim ea, unum post aliud, exequere. Si enim simul omnia sine ullo ordine perficere, & aggredi velis, conatus quosdam facies, qui te oppriment, & spiritum tuum evigorabunt, tuque ut plurimum

num sub onere fatisces confecta, & vix quidquam effeceris.

In omnibus porro negotiis tuis Divinæ providentiæ, a qua sola omnia tua molimina & opera ortum habere debent, totaliter nitere: ex parte tamen tua graviter labora, & possibilia age, quo ei coopereris, ac deinde certa esto, siquidem in DEO bene confisa fueris, successum, qui inde tibi sequetur, semper tibi & utilissimum & optimum fore, esto is tibi, pro particulari tuo judicio, bonus aut malus videatur.

Imitare pueros, qui manu una parentis manum tenent, & altera fraga & baccas e sepibus & dumetis colligunt. Pari modo tu, manu una bona mundi hujus colligito, & tracta, altera semper patris cœlestis manum tene, ad eum subinde revertens, & recurrens, ut videas, num tua agendi ratio & occupationes tuæ ei placeant? Inprimis vero cave, ne manum & protectionem ejus unquam deseras, te solam plura colligere, & efficere posse credens: si enim ipse te deserat, ne unum quidem gressum figes, quin corruas, & turpiter impingas. Quando ergo, Philothea, in communibus tuis negotiis & occupationibus, quæ tam vehementem ac internam attentionem non requirent, versaberis, semper magis ad DEUM, quam negotia respicias. Cui, vero negotia tanti sint momenti ac difficultatis, quæ,

quæ, ut rite peragantur, omnem tuam attentionem & animum requirant, subinde ad DEUM animum attolles, ad exemplum eorum, qui mare navigant, qui, quo ad terram, ad quam anhelant, appellant, sæpius sublime, coelum versus, respiciunt, quam æquor, quod navigant; sic fiet, ut DEUS tecum, in te, & pro te laboraturus sit, & labor tuus aliqua consolatione dulcorandus.

## CAPUT XI.

### *De Obedientia.*

**S**ola charitas nos in perfectione ponit, sed obedientia, castitas, & paupertas tua ejus acquirendæ media sunt; obedientia quippe cor, castitas corpus, & paupertas facultates nostras amori & obsequio DEI dedicat, sunt hæ, tres crucis spiritualis rami, qui tamen omnes quarto, id est humilitati, innituntur. Nihil autem de tribus illis præstantissimis virtutibus dicam, in quantum solenni voto promittuntur, hoc quippe ad solos Religiosos spectat, nec etiam, in quantum simplici voto voventur, quia licet votum semper multum gratiæ & meriti virtutibus omnibus addat, ut tamen ad veram perfectionem pertingamus, ad eas necesse non est, hominem voto sese astringere, dummodo eas exacte servet. Etenim, esto ipsæ voto promissæ, & præsertim

so-



solenni, hominem in perfectionis statu collocent: tamen, ut eum in perfectione constituent, satis est, eas bene observari, cum magna inter perfectionis statum, & ipsam perfectionem differentia ac discrimen sit, cum quilibet seu Episcopi, seu Religiosi in statu quidem sint perfectionis, non tamen omnes in perfectione: quemadmodum Indies plus nimio videmus. Demus ergo operam, Philothea, ut tres hasce virtutes quisque, juxta suam vocationem & statum, rite exerceamus. Siquidem esto nos ad perfectionis statum non perducant, ipsam tamen perfectionem nobis dabunt. Adhæc, omnes quotquot sumus, ad harum trium virtutum exercitium tenemur, esto omnes ad eas uno eodemque modo exercendas minime obligemur.

Duo sunt obedientiæ genera, unum necessarium, & alterum voluntarium. Per necessariam obedientiam humiliter obedire debes Superioribus tuis Ecclesiasticis, puta Pontifici, Episcopo, Curioni, & ipsorum Vicariis & Substitutis, item Superioribus Politicis, id est Principi tuo, ac Magistratibus, quos is super provinciam tuam constituit; Superioribus denique domesticis, id est, patri, matri, heri, & heræ. Hæc porro obedientia dicitur necessaria, quod nullus ab his Superioribus obediendi officio se eximere potest, cum DEus iis auctoritatem regendi & gubernandi dederit,

rit, unicuique pro munere, quod in nos acceperunt. Illorum ergo præceptis & iussis morem gere, & hoc necessitatis est: sed, ut perfecta sis, illorum insuper consiliis, desideriis, & propensionibus acquiesce, in quantum id charitas & prudentia permittet. Iis ergo obedi, cum aliquid sensualitati gratum tibi injungent, uti est, comedere, recreationem capere, &c. nam tametsi non magnæ videatur esse virtutis, hoc in casu obedire, magnum tamen vitium foret, hic non obedire. Obedi quoque in rebus indifferentibus, uti sunt, tale vestis genus gestare, hac via, aut alia incedere, cantare, aut tacere, & erit obedientia valde commendabilis. Obedi item in rebus difficilibus, asperis, & duris, & erit obedientia perfecta. Obedi denique suaviter, sine murmuratione, prompte, sine dilatione, hilariter, sine morositate, & ante omnia obedi amorese, ex amore scilicet ejus, qui amore nostri factus est obediens usque ad mortem crucis, & qui, ut ait S. Bernardus, vitam amittere maluit, quam obedientiam.

Ut autem Superioribus tuis facile obedire discas, æqualium tuorum voluntati facile, & non invita acquiescas, illorum opinioni in eo, quod aperte malum non est, libenter cedendo, ut nec contentiosum cum iis finem trahas, nec pertinaciter illis obluæteris. Libenter quoque inferiorum tuorum desideriis te, quan-  
tum

tum ratio permittet, accommoda, nullam in eos auctoritatem violentam aut imperativam, quamdiu boni sunt, exercendo.

Errant, qui credunt, si Religiosi aut Religiosæ forent, facile obedituros; cum interim illis, quos DEUS iis Superiores constituit ac dedit, obedire detrectent, & arduum ducant.

Voluntariam obedientiam dico illam, ad quam propria electione, & sponte nos adstringimus, & quam nos nobis, non quis alius, imponimus. Plerumque Principem, Episcopum, patrem, matrem, & sæpe etiam maritum, nobis non eligimus; at seligimus Confessarium, & directorem. Porro, sive in eo deligendo, expresse votum ei obediendi concipiamus, sicut S. Mater Theresia, præter obedientiam Superioris Ordinis sui solenni voto promissam, simplici quodam voto DEO se ad Patri Hier. Gratiano obediendum ac parendum obstrinxisse fertur, sive sine ullo voto nos alterius cujuspiam imperio obedientiæque devoveamus, obedientia hæc semper voluntaria dicitur, idque ratione fundamenti ejus, quod a nostra voluntate, & electione dependet.

Omnibus in genere Superioribus obediendum est, unicuique tamen in ea re, in qua nobis præsidet, & præpositus est. Nam in rebus ad politicum, & publicum regimen spectan-



stantibus, obediendum est Principibus; in iis, quæ ad Ecclesiasticam gubernationem attinent, Prælati; in domesticis vero, patri, hero, marito; in particulari denique animæ directione, peculiari directori ejusdem, aut Confessario.

Cura, ut tibi quidam pietatis actus, & exercitia a Patre tuo spirituali præscribantur, & ordinentur, ut eos deinde executioni mandes: sic namque illi, & meliores erunt, & duplicem gratiam ac bonitatem habebunt; unam quidem ex seipsis, eo quod pii sunt; alterum vero ab obedientia, quæ ipsos fieri præcepit, & in cujus virtute fient. Beati obedientes, non permittet enim DEUS ut errent, & impingant.

## CAPUT XII.

### *De necessitate Castitatis.*

Castitas virtutum omnium est Liliū, hæc homines Angelis prope similes & æquales reddit, nihil pulchrum, nisi per puritatem, hominum porro puritas, castitas est. Castitas, honestas appellatur; & ejusdem profectio, honor: nominatur item, integritas, & illius contrarium, corruptio. Denique hanc singularem, & particularem gloriam habet, quod pulchra, & candida animæ simul, & corporis virtus sit.

Nul-

Nullam quis unquam e corpore suo impudicam haurire voluptatem potest, quocumque demum modo fiat; nisi in legitimo matrimonio; utpote cujus sanctitas, iusta quadam compensatione, eum, qui in delectatione committitur, defectum potest reparare. Quin & in ipso matrimonio, intentionis honestas curanda est, ut si qua forte in voluptatis, qui exercetur, actu sit indecentia, nihil nisi honestum in eum exercente voluntate reperiat.

Cor mundum & castum ad instar conchæ margaritiferae est, nullam, nisi quæ de cælo venit, aquæ guttam recipientis: nullam quippe illud admittere voluptatem potest, quam quæ e matrimonio, quod a Cælo est institutum, provenit; & præter hanc, ne cogitare quidem de ea, impudica, voluntaria & deliberata quadam cogitatione, ei licitum est.

Quod ad primum hujus virtutis gradum attinet, cave, Philothea, ne ullam illicitam, aut prohibitam voluptatem admittas, uti sunt omnes, quæ extra matrimonium capiuntur, vel etiam in eo, quando eæ contra ejusdem præscriptum & ordinem exercentur.

Quod ad secundum, quantum possibile tibi erit, omnes inutiles & superfluas, esto licitas & permissas, delectationes a te rescindi.

Quod ad tertium, delectationibus & voluptatibus, quæ & præceptæ sunt, & ordinatæ,

tæ, affectum non applices. Licet enim necessariæ delectationes & voluptates usurpari debeant, eæ (inquam) quæ ad Sancti matrimonii finem & institutionem referuntur, nunquam tamen animum aut spiritum iis oportet affigere.

Cæterum, nemo non virtute hac opus habet. Qui in viduitate sunt, animosam & virilem castitatem habeant oportet, quæ non solum tum præsentia, tum futura objecta repudiet, & a se excludat, verum etiam imaginationibus, quas voluptates licite in matrimonio alias habitæ, in mentibus eorum producere queunt, (quæ idcirco impudicis illiis sentiendis magis obnoxix sunt) viriliter resistat. Atque hinc est, quod S. Augustinus charissimi sui Alipii puritatem usque adeo obstupescat, & deprædicet, quod nimirum voluptatum carnalium, quas tamen in juventute sua aliquando expertus erat, jam conversus penitus oblitus esset, & sensum earum amisisset. Et sane, sicuti fructus, quamdiu integri sunt, facile possunt conservari, alii in straminibus, alii in arena, alii in suismet frondibus, at semel morfi & delibati si sint, vix ulla eos conservandi suppetit ratio, nisi saecaro & melle condiantur. Sic castitas nondum læsa aut violata, diversimode servari potest, ac semel prælibata & violari cœpta, nulla re alia, nisi per excellentem quandam devotionem  
(quæ



(quæ sicuti sæpe dixi, verum mentium mel & saccharum est) potest conservari.

Virgines vero castitate simplicissima opus habent, ut videlicet omnes cogitationes curiosas a corde suo excludant, & absoluto quodam contemptu & repudio quaslibet immundas delectationes contemnant; quod hæ ab omnibus desiderari, & optari omnino non mereantur, cum asinis & porcis illæ conveniant magis, & propriæ magis sint, quam ipsis. Caveant ergo hæ puræ animæ, ne unquam dubitent, quin castitas incomparabiliter melior sit, quam quidquid illi directe oppositum est, & cum ea incompatible. Nam, ut magnus Hieronymus scribit, diabolus virgines violenter tentat, & incitat, ut voluptates semel experiri velint, eas infinito suaviores & deliciosiores, quam in se revera sint, ipsis depingendo, & repræsentando: quod eas sæpe valde perturbat, dum, ut ait Sanctus ille Vir, suavius reputant id, quod nesciunt. Nam veluti papilio flammam videns, eam identidem & curiose circumvolitat, experturus, num tam illa suavis sit, quam pulchra; & ab hac imaginatione impulsus, non ante ad eam volare cessat, quam ad primum experimentum ipse sibi ruinam & mortem accersat: sic adolescentiores sæpe se ita a falsa & stulta persuasionem & repræsentationem, qua voluptatum carnalium flammæ dulces ac deliciosas esse

sibi fingunt, abripi patiuntur, ut post multas curiosas cogitationes in iisdem tandem pereant, sibi que interitum accersant, in quo certe fatuis papilionibus stultiores sunt, quod illi aliquam quidem occasionem & causam habeant, cogitandi, ignem, cum adeo pulcher sit, & splendidus, etiam suavem & deliciosum esse: hi vero esto sciant, id quod ambiunt, & consecretantur, cum primis inhonestum esse, nihilominus fatuam & brutalem illam delectationem pluris faciunt, quam honestatem. Quod autem ad conjugatos attinet, certum est (quod tamen vix quisquam credat) castitatem iis cum primis necessariam esse: illorum namque castitas non tam consistit in hoc, ut absolute ab omnibus carnalibus voluptatibus abstineant, quam ut remediis in voluptatibus sese contineant. Porro, sicuti præceptum illud: *Irascimini, & nolite peccare*, longe meo iudicio difficilior est illo, prorsus non irasci; quia facilius longe est, iram penitus vitare, & fugere, quam moderari: sic multo facilius reputo, a carnalibus voluptatibus prorsus abstinere, quam aliquod in illis moderamen & regulam servare. Sancta matroni licentia & voluptas peculiarem, fateor, vim habet, ad ignem concupiscentiæ extinguendum, at ea fruuentium infirmitas facile a licito ad illicitum, & ab usu ad abusum dilabitur. Et sicuti multos divites furari videbimus,

mus, non quidem præ egestate, sed ex avaritia; sic multos conjugatos utriusque sexus, per solam intemperantiam, libidinem, & lubricitatem videmus delinquere, tametsi legitimum domi objectum habeant, in quo & deberent, & possent consistere: cum concupiscentia illorum adinstar ignis volatici sit, hic & illic obvia quæque ustulantis, & nullo certo in loco hærentis. Semper magno cum periculo conjunctum est, violenta medicamenta sumere, si enim ex illis plus nimio sumatur, aut illa minime, prout oportet, præparata sint, plurimum sumentibus damni adferunt. Matrimonium benedictum, & institutum ex parte fuit, in concupiscentiæ carnalis remedium: & certe optimum remedium est, violentum tamen, proinde periculosissimum, nisi cum discretione quis eo utatur.

Addo, ob varios rerum, & negotiorum humanorum casus, ( ut taceam quoque longos, & diuturnos morbos ) sæpe maritos ab uxoribus suis abesse debere, unde conjugati duplici castitate opus habent; una videlicet, ut absolute a carnali commercio abstineant, quando nimirum ab invicem, ob illas, quas jam dixi, causas, disjuncti sunt: altera, ut voluptatem suam moderentur, quando jam simul agunt, & cohabitant.

Hinc S. Catharina Senensis plurimos damnatorum idcirco gravissime cruciari conspexit,



quod matrimonii sui sanctitatem violassent, quod non tam ob peccati ipsius gravitatem fieri aiebat ( quia homicidia, & blasphemiaz longe enormiora scelera sunt ) quam quod, qui illud admittunt nullum inde remorsum, aut scrupulum sibi moveant, ac proinde diu in illo hæreant, & velut computrescant.

Vides ergo, castitatem omni hominum generi necessariam esse. *Pacem sequimini*, inquit Apostolus, *cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit DEUM.* Per sanctimoniam autem, intelligit castitatem, ut quidem S. Hieronymus, & Chrysostomus illum locum exponunt. Nemo ergo, mea Philothea, sine castitate videbit DEUM; nemo in sancto ejus habitaculo habitabit, qui non sit mundo corde. Et sicut Redemptor ipse aperte pronuntiat: *Canes & impudici ex eo ejicientur foras; & Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.*

## CAPUT XIII.

*Castitatis conservandæ præcepta, & monita præscribuntur.*

**R**emis velisque fuge, quidquid ad lubricitatem, immunditiam quoquo modo ducit, aut eam adescat, & nutrit. Hoc quippe malum agit insensibiliter, & a parvis initiis in immensum sensim excrescit, & ulterius progre-

greditur, semper quippe facilius id fugitur, quam sanatur.

Corpora humana vitreis vasis similia sunt: hæc enim simul lata, ita ut se invicem tangant, & collidantur, in summo periculo sunt, ne frangantur. Item fructus, licet integri, & bene constituti sint, vitium tamen, & rubiginem contrahunt, si adinvicem confricentur. Ipsa aqua quantumvis recens in vase sit, si ab aliquo terreno animali delibetur, & tangatur, suam integritatem, & frigiditatem diu conservare nequit. Nunquam te patiare, Philothea, ab aliquo inciviliter, aut per jocum, sive e benevolentia contingi. Esto enim castitas inter hæc actiones, leves potius, quam malas, queat integra conservari, viror tamen, & flos illius aliquod semper inde capit detrimentum, & jacturam; totalis autem castitatis ruina, & interitus est, si quis se inhoneste a quopiam tangi sinat.

Castitas quidem a corde, velut ab origine sua, ortum sumit; corpus tamen velut materiam suam circa quam, respicit: hinc etiam per omnes exteriores corporis sensus, per cogitationes, & desideria cordis admittitur. Impudicitia est, intueri, audire, loqui, olfacere, tangere inhonesta, cum animus iisdem afficitur, & voluptatem inde haurit, quare Apostolus absolute ait, & suadet: *Fornicatio nec nominetur quidem in vobis.* Apes non solum

cadavera tangere recusant, sed & omnem, quæ ex iisdem provenit putrescentiam, & fœtorem penitus fugiunt, ac detestantur. Sponsa in Canticis manus habet stillantes myrrham, qui liquor est corpora quælibet ab omni corruptione defendens. Labia vero ejus vitta cocinea constricta sunt, quæ honestatis, & pudoris verborum index est: oculi ejus sunt oculi columbarum, ob munditiem & integritatem: aures illius inaures habent aureas, quod puritatis indicium, & nota est: nasus denique ejus confertur cedris Libani, quod ligni genus æternum, incorruptibile est. Talis anima devota sit oportet, casta, inquam, nitida, honesta, tam manibus, labiis, auribus, oculis, quam reliquo toto corpore.

Huic proposito mire mihi quadrare videtur sententia illa, quam vetus ille Joannes Cassianus, tanquam S. Basilii ore olim prolatam, adducit, qui de seipso loquens quadam die: *Fœminam nescio, attamen virgo non sum.* Tot certe amitti modis castitas potest, quot sunt impudicitiarum, & lasciviarum genera: quæ prout magnæ, aut parvæ sunt, eam vel luxant, & debilitant, vel lædunt, vel plane extinguunt. Etenim sunt quædam commercia, & familiaritates, & indiscretæ, petulantes, vanæ, & sensuales quædam passionēs, quæ, si proprie loquendum sit, castitatem quidem non violant, eam tamen debilem & languidam



dam reddunt, ejusque fulgidum nitorem non nihil obscurant. Aliæ sunt familiaritates & passiones non indiscretæ solum, sed & vitiosæ, non solum vanæ ac ineptæ, sed & inhonestæ; non sensuales solum, sed & carnales; & per has ad minimum castitas valde læditur, & incommodatur. Dico, ad minimum, quia tunc illa moritur, & plane perit, quando lasciviæ, & lubricitates illæ ultimum carnis voluptatis effectum in carne causant; imo vero tunc multo perit indignius ac scelestius, quando dum per fornicationem, & incestum perit: nam postremæ illæ libidinis species non nisi peccata sunt, at prior illa lubricitas, & impudentia, ut Tertullianus libro de Pudicitia palam, & aperte asserit, iniquitatis, & peccati abominanda, & horrenda monstra sunt. Porro, nec Joannes Cassianus, nec ego credimus, Sanctum Basilium, dum se virginem esse negat, ad tale impudiciæ, & lasciviæ genus respexisse: puto namque, eum non aliud hic intellexisse, quam voluptarias, & carnales cogitationes, quæ tametsi proprie corpus ejus non inquinassent, cor tamen ac animum aliquo modo commacularunt, de cujus etiam castitate, & integritate animæ generosæ, quam maxime sollicitæ sunt, eamque sartam tectam conservare gestiunt.

Impudicorum commercium, quam potes maxime, detestare, præsertim si præterea im-

pudentes sint, ut prope semper sunt. Ut enim hirci lingua amygdalas dulces tangentes, eas quamprimum amarescere faciunt: sic homines foetidi, & cor infectum habentes, raro aliquem aut sui, aut diversi sexus, alloquuntur, quin illius castitatem, & pudicitiam aliquo modo inquinant ac debilitent: habent quippe venenum in oculis, & in habitu, quemadmodum Basilisci.

Contra cum hominibus pudicis, & virtutum sectatoribus commercium habe, saepe quoque de rebus piis aut cogita, aut libros de iisdem tractantes lege: verbum enim Domini castum est, & illos, qui eodem delectantur, & capiuntur, castos reddit: unde David ipsum topazio, & lapidi pretioso comparat, cujus illa est proprietas, & natura, ut ardorem concupiscentiae restinguat, & consopiat.

Semper te apud JESUM Christum crucifixum tene, tum spiritualiter, per sanctam meditationem, tum realiter, per Sanctam Communionem. Si enim, ut ajunt, herba, cui nomen Agnus castus, tantae est virtutis, ut eum, qui super ipsam cubat, reddat castum, vel praeservet? quanto plus poterit Agnus ille immaculatissimus, &c. &c.

## CAPUT XIV.

*De paupertate spiritus inter divitias obser-  
vanda.*

**B**Eati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est re-  
gnum Cœlorum: infelices ergo divites spiri-  
tu, quoniam ipsorum est miseria infernorum.  
Is dives est spiritu, qui divitias suas in spiritu  
habet, vel spiritum ac mentem in divitiis. Is  
vero pauper spiritu est, qui nullas in spiritu di-  
vitias habet. Alcyones nidos suos construunt  
ad instar palmæ, eosque ita excludunt, ut in iis  
non nisi parvum aditum superne patentem re-  
linquant, adhæc in maris littore eos collocant,  
& quidem adeo solidos, & impenetrabiles, ut  
undæ licet ingruant, & premant, nunquam ab  
aqua tamen penetrari possint, sed semper eis  
superinnatantes, in medio mari, supra mare,  
& mari prævalentes, & superiores maneant.  
Hos cor tuum nidos imitari debet, charis-  
sima Philothea, ut nimirum soli cœlo id pa-  
reat: divitiæ autem, & res caducæ omnino  
penetrare nequeant, si vero eæ tibi obtige-  
rint, vide, ne illis cor tuum affectu adhære-  
scat, sed semper supernatet, & medias inter  
divitias sine divitiis sit, & divitiarum domi-  
nus. Noli, quæso, spiritum hunc cœlestem  
bonis terrenis affigere, vide, ut is semper iis  
superior sit, supra eas, non autem in illis.



Multum interest inter habere venenum, & venenum sumpſiſſe. Pharmacopolæ ut plurimum venena in officinis habent, ut illa in tempore, & variis in eventibus adhibeant; ac non propterea intoxicati ſunt, quod venenum non in corpore, ſed in officinis ſuis habeant; pari modo, habere divitias poteſ, non tamen ab iisdem intoxicatus eſſe: id fiet, ſi eas domi & in crumena tua habeas, non autem in corde. Divitem eſſe re & effectū, ac pauperem affectu, ingens Chriſtiani hominis felicitas eſt, hac namque ratione hoc in mundo divitiarum commoda percipit, & in altero meritum paupertatis.

Nullus unquam, Philothea, avarum ſe eſſe fatebitur; quilibet hoc probrum & ſordidi animi ſignum a ſe amolitur, ſi quis forſan opes coacervet, ideo ſe eas colligere aſſeret, quod multa prole gravetur; ſapientiam quoque exigere, ut facultatibus & opibus multis colligendis rem familiarem quiſ ſtabiliat; nemo unquam habet ſatis: & ſemper aliquæ neceſſitates ad amplius habendum prætexuntur, & inveniuntur: imo & avariſſimi quiſque, non ſolum ſe avaros non eſſe aſſerunt, ſed ne quidem in conſcientia tales ſeſe eſſe cogitant: avaritia ſiquidem prodigioſa quædam febris eſt, quæ eo fit inſenſibilior, quo violentior eſt, & ardentior. Moyses vidit ignem Divinum, qui quidem rubum adurebat,

bat, ipsum tamen non exurebat, aut consumebat: contra profanus avaritiæ ignis avarum quidem consumit, ac devorat, non tamen adurit; saltem, in maximis suis ardoribus & æstibus, frigidissimum se esse jactat, atque insatiabilem cupiditatem & orem suam, nonnisi naturalem & suavem quandam sitim esse ait. Si ergo diutius magno animi cum ardore & inquietudine bona ac facultates, quæ nondum habes, concupiscas, falso te illa nolle habere jactitas: neque enim ideo desinis vere avarus esse, nam quisquis ardentem, diu, & cum animi inquiete bibere desiderat, esto nonnisi aquam bibere velit, satis ostendit, sese febricitare.

Nescio sane, Philothea, justumne sit desiderium, desiderare habere juste, quæ alius quis juste possidet: hoc quippe desiderio alienum per incommodum nobis commodare velle videmur. Qui enim rem aliquam juste & æque possidet, an non majorem, ad ipsam juste servandam, rationem habet, quam nos ad ipsam juste desiderandam? Cur ergo desiderium nostrum in illius commodum, quo illum eo privemus, extendimus? saltem, esto desiderium hoc justum esse concedamus, non tamen est cum charitate conjunctum: neque enim ullo modo vellemus, alius quis desideraret, (esto juste) quod ipsi juste servare cupimus.

Hoc fuit peccatum Achab, qui Nabuthæ vineam juste habere voluit, cum is eam justius servare sibi, & retinere vellet: & quia desiderabat eam ardentem, diu, & quadam cum animi turbatione, hinc DEUM offendit.

Vide, Philothea, ut tunc proximi bona desideres, cum is illa a se abdicare velle incipiet: tunc quippe desiderium ipsius, tuum non justum modo, sed & cum charitate conjunctum faciet. Etenim per me licet, ut facultates & possessiones tuas adaugeas, dummodo id non solum juste, sed & charitative fiat.

Si erga facultates, quas possides, affectu nimio feraris, & propter easdem anxia sis & sollicita, omnes cogitationes tuas penitus iis affigens, quin etiam nimio quodam & anxio timore eisdem metuas excidere, aliqua mihi credas velim, adhuc feбри laboras: febrientes namque aquam aliqua cum aviditate, cupiditate, intentione, ac recreatione bibunt, quam habere non solent illi, qui recta valetudine sunt. Vix fieri potest, ut quis in re aliqua multum sibi placeat, & non multum affectu erga eam feratur. Si quam rerum tuarum jacturam te facere contingat, & in animo propterea te contristari, & affligi sentias, crede mihi, Philothea, magno erga easdem affectu raperis: nihil enim adeo affectum erga rem perditam prodit, & patefacit, atque ob ejusdem jacturam dolor & animi tristitia.



Noli ergo desiderio nimis intenso, sed, ut dixi, cum iusto, cum & charitativo, rem, quam non habes, desiderare; iis autem facultatibus, quas jam habes, noli cor firmiter apponere, noli quoque ob iacturam & damna rerum, quæ tibi evenient, magnopere contristari; & tunc aliquo tibi modo persuadere poteris, ac credere, te, tametsi dives reipsa & effectu sis, affectu tamen divitem non esse, sed pauperem spiritu, & proinde beatam, tuum est enim regnum Cœlorum.

## CAPUT XV.

*Quomodo reipsa paupertatem exercere quis possit, esto defacto, & realiter maneat dives.*

**P**Arrhasius pictor ingeniosissimo quodam commento populum Atheniensem expressit, cum diversæ eum indolis, & varium, una & eadem in tabula repræsentavit, iracundum videlicet, injustum, inconstantem, humanum, clementem, misericordem, arrogantem, gloriosum, humilem, iactabundum, fugitivum. Ego vero, charissima Philothea, opulentiam simul, & paupertatem, insignem rerum temporalium curam simul, & contemptum pariter tibi vellem imponere, & cordi tuo infigere.

Majore ergo contentione ac studio aliquem ex opibus tuis fructum, & utilitatem elicere

fatage, quam soleant mundani e suis. An non hortulani Principum in hortis curæ suæ concreditis colendis, & condecorandis diligentiores, & accuratiores sunt, quam si hi ad ipsos pertinerent, & ipsorum proprii forent? cur autem hanc illis diligentiam impendunt? quod illos ut hortos Regum ac Principum considerent, quibus per impensum hortis obsequium placere, & gratificari student. Possessiones & facultates, quas habemus, Philothea, nostræ non sunt, quia DEUS nobis eas colendas dedit, vultque nos eas fructuosas, & utiles reddere, ideoque gratissimum illi obsequium præstamus, dum eas curamus.

Unde majore has & solidiore nos cura curare oportet, quam mundani suas: hi namque nonnisi ex amore proprio, & quod se ipsos diligant, sua curant; nos vero ex amore DEI laborare oportet. Porro, sicut amor proprius violentus, turbulentus, & anxius est, ita ut cura, quam illius causa quis habet, turbatione, anxietate, & inquietudine plena est: & vice versa, sicut amor DEI suavis, placidus & tranquillus est, ita & cura, quæ ex eo promanat, esto circa res, ac bona mundi hujus occupetur, dulcis, placida, & tranquilla est. Hanc ergo suavem rerum nostrarum temporalium conservandarum, quin & adaugendarum, curam habeamus, si quando

do justa ad hoc nobis offeretur occasio, & in quantum conditio nostra & status requirit: sic namque Dominus nos propter amorem suum vult facere.

At vide, ne ab amore proprio decipiaris: hic namque subinde amoris DEI formam, & personam adeo scite induit, ut ipsum esse quis diceret. Porro ad præcavendum, ne iste decipiat, & ne hæc rerum temporalium cura in avaritiam, & cupiditatem transeat, præter ea, quæ superiori capite dicta sunt, realis & effectualis paupertas subinde nobis erit inter facultates, & divitias, quas DEUS nobis est elargitus, exercenda.

Semper ergo aliquam facultatum tuarum portionem tibi defalca, & præcide, eam ex animo pauperibus elargiendo; quantum autem ex eo, quod habes, das, tantum te depauperas, & quo plura dabis, eo fies pauperior? At DEUS id tibi centuplicatum reddet, & non in altero sæculo tantum, sed & in præfenti: nihil quippe hominem ita temporalibus abundare facit, atque eleemosyna; at quamdiu exspectas, ut DEUS id tibi reddat, & compenset, tamdiu interea inde manebis pauperior? sed, o beata, & epulenta illa depauperatio, quæ ex eleemosyna sequitur!

Adhæc pauperes, & paupertatem ama; per hunc quippe amorem vere pauper fies, cum, teste Scriptura, similes fiamus rebus, quas di-



ligimus. Amor quippe amantes invicem pares & similes reddit. *Quis infirmatur*, ait S. Paulus, & *ego non infirmor*? Dicere poterat, quis pauper est, cum quo ipse non sim pauper? Quia amor faciebat eum talem, quales erant ii, quos amabat, si ergo pauperes ames, illorum paupertatis & inopiæ vere particeps eris, & ad instar illorum pauper.

Porro, si pauperes ames, sæpe inter & cum iis versare, ac volupe tibi sit, illos apud te videre, illosque etiam domi suæ invisere, libenter quoque cum illis conversare, & gaudere, cum illi in templis, plateis, & alibi te eleemosynæ causa compellant. Esto apud illos, & cum illis pauper lingua, ita nimirum eos alloquens, tanquam si eorum esses socius, sed esto dives manu, de facultatibus tuis in illos erogando, quasi illis abundantior, & opulentior.

Ulterius etiam progredi vis, Philothea? satis tibi non sit, pauperem esse, sicut illi pauperes sunt, sed esto illis etiam pauperior, hoc autem quomodo fiet? Famulus minor est Domino suo: pauperum ergo te famulam constitue, & illis, dum lecto ægri decumbunt, domi famulatum abi, idque propriis manibus tuis; cibum illis coque, & præpara, idque ære tuo & dispendio, pannos denique illorum ablue, & soli expone exsiccandos. Hoc, Philothea, famulitium regno omni glorio-

riofius & illustrius est. Satis autem hic mirari nequeo fervorem, quo S. Ludovicus, in maximis, quos unquam mundus habuit, Regibus non postremus, consilium istud exercuerit: magnus inquam Rex, ut qui omni magnitudinis genere magnus fuit. Etenim sæpe pauperibus, quos de opibus suis alebat, in mensa ipse famulabatur, & pene quotidie tres pauperes in mensa sua habebat convivas; quin & non raro amore, & ardore quodam singulari, quod illi jusculum in scutella reliquerant, ipse comedere non detrectabat. Cum nosocomia visitabat, (faciebat id autem sæpissime) illis plerumque serviebat, qui teterissimis & fœdissimis morbis putiscebant, puta lepra, cancro, aliisque id genus morbis laborantibus: & omne hoc obsequium nudo peragebat capite, & genu flexo, Salvatorem JESUM in illis considerans, eosque non minus amanter fovens, & complectens, quam amantissima Mater dilectissimum complecteretur filiolum. S. Elisabetha Hungariæ Regis filia, plerumque inter pauperes & mendicos versabatur, &, quo se nonnunquam oblectaret, subinde apud domicellas ad instar pauperulæ induebat, dicens: Si essem pauper hoc me modo induerem. Quam, o charissima Philothea! Rex ille, & hæc Regina suis in divitiis & opibus erant pauperes, & quam in sua paupertate opulenti!

Beati illi, qui hac ratione pauperes sunt, illorum siquidem est Regnum Cœlorum. *Esurivi, & dedistis mihi manducare; nudus fui, & vos me cooperuistis, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; dicet pauperum & Regum omnium Rex, in magno & supremo suo iudicio.*

Nullus omnino est, cui non aliquando aliquid in commodis habendis desit, & deficiat. Quandoque enim fiet, convivam aliquem inexpectato prorsus nobis supervenire, quem lautius excipere, & vellemus, & deberemus, sed illo in casu ac temporis circumstantia, nulla prorsus rei alicujus habendæ suppetet ratio. Vestes suas splendidiore quopiam in loco quis habet, & alio in loco, in quo eum elegantius vestitum comparere par esset, opus iis habet. Continget subinde, omnia cellæ vina repente saporem immutare, & alterari, & nonnisi vappas & crudiora vina naturam suam retinuisse. In tugurio rustico aliquando te hospitari oportebit, ubi omnia hospitii comoda, lectus, cubiculum, mensa, obsequium tibi deerunt. Ita facile fit, hominem, quantumvis dives sit, aliqua sæpe re opus habere, atque hoc est, re ipsa & de facto pauperem esse, quoad ea nimirum, quæ nobis desunt. Gaude, mea Philothea, si quando tale quid tibi continget, ipsum gratanter atque æquanimitè excipe, & hilari vultu tolera. Si



Si quando tibi casus superveniet, qui te ad paupertatem, sive magnam, sive parvam, redigat, uti sunt tempestates, incendia, inundationes, sterilitas, furta, lites, tunc tibi optima paupertatis exercendæ suppetit oportunitas, tunc scilicet hanc facultatum diminutionem, detrimentum æqui bonique consule, huicque depauperationi, patienter, & constanter acquiesce. Esau cum manibus suis pilosis, & hirsutis patri se stitit, stitit & Jacob, sed hoc cum discrimine: quia enim pili, qui erant in manibus Jacob, non manibus illius, sed chirothecis duntaxat adhærebant, hinc pili sine ulla manuum læsione, & excoriatione de manibus ejus tolli poterant. Contra, quia pili pelli Esau adhærebant, quam is natura hirtam, & hirsutam habebat: hinc si quis illos avellere esset conatus, magnum ei haud dubie cruciatum intulisset, ipse quoque clamasset, moxque in sui defensionem profuisset. Quando divitiis cor apponimus, si tempestate, furto, lite, aliquam earum nobis partem eripi contingat, quas querelas, quas turbas ciemus, quam impatienter nos gerimus? At cum facultates nostræ non nisi a cura, qua DEUS nos illa curare vult, non autem a corde, & affectu nostro dependent, etiamsi illæ nobis eripiantur, & quodammodo avellantur, non propterea mente, aut tranquillitate excidemus. Hoc interest inter

bestiarum, & hominum indumenta, quod illarum vestes carni inhærescant, horum vero ei tantummodo superinduantur, & applicentur, ut hi eas, & induere, & exuere, quoties allubebit, possint.

## CAPUT XVI.

*Quomodo spiritualement opulentiam media in paupertate reali exercere possimus.*

**A**T realiter, & defacto, pauper sis, charissima Philothea, esto, obsecro, & spiritu, fac de necessitate virtutem, & preciosum hunc paupertatis lapidem juxta pretium suum æstima. Illius fulgor, & rutilantia mundo quidem incognitus est; tamen in se, & summe splendidus est, & ingentis valoris.

Patientiam habe; bonos socios habes. Redemptor noster, & Beata Virgo, Apostoli, tot utriusque sexus Sancti homines, Pauperes fuere, cumque divites esse possent, esse noluerunt. Quam multi in mundo illustres, & opulenti, magna cum suorum contradictione, & obloquio, incredibili quodam cum ardore, & studio sanctam Paupertatem in Monasteriis, & Xenodochiis ambivere? magno certe, quod eam invenirent, labore, & sudore contendunt. Testes S. Alexius, Paula, Paulinus, Angelus, & innumerii alii. Porro, multo illa erga te, Philothea, benignior, & am-  
cior

cior est, ultro sese tibi offert: invenisti eam non quæsitam, & quidem citra ullum laborem aut sudorem tuum, ipsam ergo, vel ut dilectissimam JESU Christi amicam, complectere, ut qui in paupertate natus vixit, & mortuus est: ipsa namque tota vita, illius fuit comes ac mater.

Tua, o Philothea! paupertas, duas insignes habet prærogativas, quarum adminiculo multorum tibi illa esse meritorum potest occasio. Prima est, quod illa tibi obvenit, non ambientem, seu eligenti, sed e sola DEI voluntate; qui pauperem te fecit, tamen ut voluntate tua nullatenus huc ipsa concurreris, nec eam quæsieris. Quod ergo pure a voluntate DEI nobis immittitur, & tale a nobis recipitur, illi semper longe gratissimum est, dummodo nos ipsum ex animo libenter, & ad sanctæ ejus voluntati satisfaciendum admittamus. Ubi minus nostrum admistum est, ibi plus est DEI, simplex & pura voluntatis DEI acceptio, & sui resignatio tolerantiam maxime puram efficit.

Altera paupertatis hujus prærogativa est, quod sit paupertas vere pauper, & inops. Paupertas laudata, amata, æstimata, adjuta, & subsidiata, habet opulentiam, unde plane, & totaliter pauper non est, sed paupertas contempta, neglecta, vituperata, & deserta, vere pauper est. Talis est ut plurimum pauper-



tas sæcularium, quia enim hi non electione, sed necessitate, & forte pauperes sunt, hinc vilipenduntur, & quia vix ullo in pretio habentur, hinc paupertas eorum pauperior est, quam Religiosorum; esto hæc aliunde magnam quandam habeat excellentiam, longèque sit illustrior, videlicet ratione voti, & intentionis, propter quam assumpta est.

Noli ergo ob paupertatem tuam conqueri, charissima Philothea mea! non enim querimus, nisi de eo, quod nobis displicet, unde, si paupertas tua tibi displicet, non jam amplius spiritu pauper es, sed affectu, & desiderio dives.

Ne contristeris, si minora æquo, & debito tibi subsidia præbeantur; in hoc namque paupertatis excellentia, & dignitas consistit. Velle esse pauperem, & nullum velle incommodum habere, nimis quam magna ambitio est, idem namque est, ac velle simul honorem paupertatis, & commoditatem divitiarum ac opum habere.

Ne sit tibi pudori, quod pauper sis, & elemosynam ex charitate ab aliis petas, eam vero, quæ tibi dabitur, cum humilitate admittite, & quando negabitur, benigne responde; sæpe tibi in mentem veniat profectio Beatæ DEIPARÆ Virginis in Ægyptum, quo Filium suum castissimum illuc asportaret, quot eam ibi vilipendia, quantum paupertatis, & ærum-

na-

narum subire oportuerit, si ita vitam institueris, itaque te gesseris, in paupertate tua eris ditissima.

## CAPUT XVII.

*De amicitia, & primo de mala, & falsa.*

**I**Nter animæ passiones amor primum locum occupat, ipseque omnium animæ motuum princeps est, & omnes illos in se commutat, & reddit nos tales, quale est id, quod amat. Vide ergo, Philothea mea, ne malum amorem habeas; nam statim mala, & perversa fies. Inter omnes autem amores amicitia periculosissima est, quod alii amores sine ulla haberi possint communicatione; sed cum amicitia plane sine communicatione esse nequeat, hinc ea cum ullo haberi vix potest, quin morum, & qualitatum ejus quamprimum fiamus participes.

Amor omnis, amicitia non est, amare quippe possumus, & tamen non amari, & tunc amor est, at non amicitia, quod amicitia mutuus quidam, & reciprocus sit amor, & si is reciprocus non sit, amicitia non est.

Secundo: Satis non est, eum esse reciprocum, sed necesse est præterea, partes, & amicos se invicem amantes, reciprocum, & mutuum suum affectum nosse. Si enim hunc ignorent, amorem quidem habebunt, non vero amicitiam.

Tertio: Requiritur præterea, ut inter eos aliqua sit communicatio, quæ amicitiaæ basis sit, & fundamentum.

Pro communicationum diversitate diversa etiam est amicitia: communicationes porro in tantum inter se differunt, in quantum bona, quæ invicem communicantur, inter se distinguuntur; si enim bona falsa, & vana sint, falsa, & vana est amicitia; si vera bona, vera etiam amicitia: & quo bona illa erunt excellentiora, eo etiam excellentior amicitia futura: nam sicuti mel tunc præstantius est, cum ex odoratorum florum corculo colligitur, ita amor solet esse præstantior, & excellentior, dum super meliore communicatione fundatus est. Et quemadmodum Heracleæ, Ponti civitate, mel reperitur, quod virulentum est, & comedentes in rabiem convertit, quod ipsum ex aconito (cujus regio illa mire ferax est) colligatur, sic amicitia super falsorum, & pravorum bonorum communicatione fundata, falsa, vana, & prorsus perniciosa est.

Communicatio voluptatum carnalium, mutua quidem est propensio, & brutale lenocinium, sed non magis hæc inter homines nomen amicitiaæ meretur, quam asinorum, & equorum, quoad similes effectus, communicatio, & si nulla alia præter hanc in matrimonio communicatio foret, nulla etiam in  
eo



eo foret amicitia : sed quoniam præter communicationem carnalem est in eo, & communicatio vitæ, industriæ, bonorum affectuum, & indissolubilis cujusdam fidelitatis, hinc matrimonii amicitia vera & sancta quædam est amicitia.

Amicitia super sensualium voluptatum communicationem fundata prorsus crassa est, & amicitia nomine indigna, uti & illa, quæ vanis & frivolis quibusdam virtutibus innititur, quod virtutes a sensibus etiam pendeant. Sensuales autem voluptates voco illas, quæ immediate & præcipue circa sensus exteriores versantur, uti est voluptas illa, quæ e conspectu pulchritudinis alicujus corporalis, suavis vocis auditu, tactu molli oritur, & aliæ id genus. Virtutes autem frivolas appello, vanos quosdam naturæ habitus & qualitates, quos imperiti & futiles virtutum & perfectionum nomine vocant. Unde potissima mulierum, puellarum, adolescentium pars sic palam loquitur, & dicere non verentur? Nobilis ille magna est virtute præditus, multis donatus est perfectionibus; nam scite tripudiat, in omni lusu versatissimus est, scite se vestit, scite canit, scite jocatur, & confabulatur, elegantes habet gestus. Sic ludiones histrionesque illum inter actores omnes primas ferre putant, qui optime morionem agit. Porro, quoniam hæc omnia ad sensus referuntur.

runtur, hinc etiam amicitia, quæ hinc ortum habent, sensuales, vanæ, frivola dicuntur, quæ tamen ineptiarum, & nugacitatis potius, quam amicitia nomen promerentur. Tales ut plurimum sunt adolescentium amicitia, quæ nonnisi in mustacibus, & alis barbarum, cirrhis crinium, oculorum nutibus, vestibibus, gesticulationibus, inani verborum strepitu & garritu continentur; dignæ certe amantium & amasiorum ætate, nullam adhuc virtutem nisi in flore & progerminatione, nullum iudicium nisi in gemmascentia habentium; unde etiam tales amicitia transitoria sunt, & adinstar nivis ad solis radios diffunduntur, & effluunt.

## CAPUT XVIII.

### *De amorculis amasiorum.*

**Q**Uando autem ineptæ hæ amicitia inter diversi sexus homines, & sine ulla matrimonii intentione exercentur, vocari solent amorculi: cum enim hi nonnisi abortus quidam amicitia, aut phantasmata larvata sint, nec amicitia, nec amoris nomen ferre merentur, ob nimiam eorum vanitatem & imperfectionem. Per illos autem, virorum iuxta ac mulierum mentes vanis & inanibus quibusdam affectibus, qui in frivolis illis familiaritatibus & communicationibus, & damno-

sis complacentiis, de quibus ante paulo egi, duntaxat fundantur, invicem concipiuntur, illaqueantur, & constringuntur. Et licet stulti hi amores plerumque in foedas carnalitates & probrosas impudicitias desinant, is tamen eos colentium primarius non est scopus & intentio, alioquin non jam amplius amorculi, sed apertæ forent impuditiæ. Subinde etiam plures elabentur anni, ut tamen, quos hæc stultitia & fatuitas dementavit, nihil committant, quod castitati corporali directe & expresse contrarium sit; utpote cum iis solum propositum sit, animos variis utrimque votis, optationibus, suspiriis, desideriiis, procreationibus, amatoriiis dictis, & aliis id genus ineptiis atque inaniis, idque varios ob fines, pascere, & oblectare.

Alii hic alium scopum non habent, quam ut animum suum, amorem partim dando, partim recipiendo pascant, & reficiant, amorosam suam inclinationem in hoc sequentes: & hi in amorum suorum electione præter proprium judicium & instinctum aliud non spectant, adeo ut, si in gratum quoddam & placens subjectum incidant, statim, etiam interiora & mores illius minime explorando, tuam hanc amorculorum communicationem cum eo praticare incipiant, & in infelicia retia sese induant, e quibus se postea non nisi quam ægerrime expediant.



Alii e vanitate quadam huc se ferri sinunt, rati, id valde gloriosum esse, si & animos cujusdam amore illigent, ac constringant: & hinc electionem suam propter solam gloriam facientes, pedicas & laqueos suos in locis speciosis, sublimibus, raris & illustribus collocare gestiunt. Alii autem, tum ex amorosa sua inclinatione, tum simul e vanitate aliqua huc feruntur; etsi enim cor eorum in amorem feratur, non tamen huc, nisi aliqua gloria hinc secutura speretur, se rapi sinent.

Omnes hæ amicitia malæ sunt, fatuæ, & vanæ; malæ quidem, quod tandem in peccatum carnale desinant, quodque amorem, & proinde cor, DEO, uxori & marito, quibus tamen ea debentur, surripiant: fatuæ vero, quod nullo neque fundamento, neque ratione nitantur: vanæ denique, quod nullum ex illis commodum, honor, aut delectatio sequatur. Econtra insignem temporis iacturam causant, honori notam & maculam afficiunt, nullam quoque delectationem afferunt, nisi forte eam, quam sollicita & anxia illa præsentio, & spes causatur, ut tamen interea nesciant, quid velint, aut præendant. Semper quippe miseri hi & debiles animi imaginantur, in hisce amoris reciproci testimoniis & significationibus, quas invicem dant, & accipiunt, aliquid, nescio tamen quid, quod desideretur, subesse: & interim dicere non  
pos-

possent, quidnam illud sit: unde fit, ut desiderium ipsorum nunquam terminari ac fini-ri queat, sed perpetuis diffidentiis, zeloty-piis, & inquietudinibus cor eorum lancinet, & torqueat.

Sanctus Gregorius Nazianzenus, in vanas mulieres calamum stringens, mira quoad hanc materiam scribit; parvam hic eorum partem adscribam, quæ etsi ille in solas fœminas tor-queat, viris tamen usu venire possunt. *Naturalis*, inquit, *pulchritudo tua sufficit uni viro tuo*, at si adinstar retis ad multas aves capiendas *extensi*, pluribus per eam viris placere appetas, *quid inde fiet? is tibi placebit qui sibi in venustate tua complacebit*, respicies, quia respecta ab eo es, & oculum conjicies, quia ab illo prius ocula-ta, mox subsequenter subrisiones, & amorosa quæ-dam verba, initio quidem furtim, & occulte pro-lata, at non multo post quædam contrahetur fa-miliaritas, & ad apertas nugacitates, & fabula-tiones transitus fiet. Cave tibi, o lingua mea lo-quax proferre, & prodere ea, quæ ab illis postea fient. Hanc nihilominus veritatem adhuc dicam: nihil eorum, quæ adolescentes, & mulieres simul loquuntur, aut in fatuis illis complacentiis pa-riter agunt, a magnis ad peccandum stimulis exemptum esse. Omnes amorculorum inania invi-cem coherent, ac se mutuo consequuntur, non minus ac ferrum aliquod a magnete tractum alia multa consequenter post se attrahit.

Egregia sane sunt hæc magni illius Episcopi verba. Quid hic cogitas, aut vis facere? an amorem in alio provocare? non, sed audi: nemo in alio eum voluntarie provocat, qui non mox etiam necessario inamoreretur, & amore capiatur. Hoc in ludo, qui capit, capitur. Aproxis herba ignem, mox ut videt, concipit, & admittit; sic & animi nostri statim atque aliquem amore sui æstuantem, & captum vident, quamprimum vicissim amore illius capiuntur. Dicit mihi quispiam, cupere quidem volo, sed nonnisi parum, & superficialiter. Ah! erras, siquidem hic amoris ignis activior, & penetrantior longe est, quam tute existimes: nonnisi scintillam admissam a te putabis, & postea miraberis, videns illum momento citius totum cor tuum occupasse, & omnia proposita tua in cineres, ac famam tuam in fenum redegisse. En clamat Sapiens: *Quis miserebitur incantatori a serpente percusso?* Et ego post illum: Fatui, & insensati, vosne amorem incantare posse putatis, ut eum, prout allubuerit, tractetis? cum illo ludere, & joculari vultis, sed malitiose vos punget is, & mordebit. Nostis, quid de vobis alii dicturi sint? omnes vobis illudent, & ridebunt, quod amorem incantare stolidè volueritis, & e falsa quadam vestri ipsorum fiducia virulentum intra sinum vestrum colubrum fovere, & abscondere volueritis,



ritis, qui quoad animam simul, & honorem vos perdiderit, & intoxicarit.

Proh quanta, DEUS bone, hæc cæcitas est, ut primariam animæ nostræ partem pro tam fortuitis & incertis sponsonibus tam evidenti amissionis periculo exponamus, & velut aleam de ea jaciamus? Et, vere Philothea: neque enim hominem habere DEUS cupit, quam propter animam, & animam nonnisi propter voluntatem, & voluntatem tantum propter amorem. Eheu! amorem talem, qualem habere debemus, ut habeamus, multum adhuc distat, id est, infinitis partibus absumus, ut satis amoris habeamus ad DEUM amandum: & interea (quæ nostra dementia & miseria est) illum adhuc in res stolidas, evanidas & frivolas prodigimus, & effundimus, tanquam si multum illius nobis adhuc reliquum foret. Ah! magnus ille DEUS, qui omnium animarum nostrarum amorem sibi reservarat, idque in recognitionem ejus, quod ipse eas creavit, conservarit, & redemerit. Strictissimam certe fatuarum harum ineptiarum, quas agimus, rationem a nobis exposcet. Si enim tam exacte in verba otiosa inquisiturus est, quale eum examen otiosarum, impertinentium, fatuarum, & perniciosarum amicitiarum facturum putamus?

Nux arbor vineis & agris, in quibus confita est, maximopere noxia ac perniciofa est,

Q

quod

quod enim tam vasta sit, omnem terræ succum ad sese attrahit, ut is deinde reliquis plantis, herbis, & fruticibus alendis minime sufficiat: adhæc frondes ejus ita densæ, opacæ, imo taliter constipatæ sunt, ut ingentem & spissam umbram creent: denique viatores ad se ipsa allicit, qui, quo nuces ejus saxis decutiant, omnia circum secus multo labore confita destruunt, & proterunt. Sic & amorculi hi animæ nostræ maxime obsunt, ac perniciosi sunt: etenim ita eam occupant, & motus ejus omnes tam potenter ad se attrahunt, ut postea nulli bono operi edendo operandoque sufficiat; folia quoque, id est conversationes, nugacia commercia, & confabulationes amorosæ tam sunt frequentes, ut omne prope tempus tollant, & dissipent; denique tot tentationes, distractiones, suspensiones, & alia plura hinc consequi solita, secum hærent, ut universum cor ab iis obruatur, & devastetur. Postremo amorculi hi non modo rerum cœlestium amorem, sed & omnem DEI timorem ab anima expellunt, spiritum enervant, ac famam destruunt: verbo ut dicam, lusus & recreatio curialium est, sed pestis cordium.

## CAPUT XIX.

*De veris amicitiiis.*

U Numquemque in genere quidem, Philo-  
 thea, magno quodam amore charitativo  
 prosequere, at cum nullis aliis particulariter  
 amicitiam contrahe, quam cum illis, qui te-  
 cum de rebus bonis piisque possunt commu-  
 nicare, & quo virtutes, de quibus in com-  
 mercio tuo tractabis, excellentiores & dignio-  
 res sunt, eo & amicitia tua futura perfectior.  
 Si de scientiis communicetis, valde laudabilis  
 sane amicitia vestra est, laudabilior certe fu-  
 tura, si de virtutibus, ut puta, de prudentia,  
 discretione, fortitudine, & iustitia, commu-  
 nicatio ipsa sit. At, si in mutua & reciproca  
 vestra communicatione loquamini de charita-  
 te, devotione, perfectione Christiana, quam,  
 DEUS bone, amicitia vestra erit pretiosa! Ex-  
 cellens certe ea erit, quod a DEO veniat,  
 quod ad DEUM tendat, quod vinculum ejus  
 sit DEUS, quod æternum in DEO durabit.  
 Quam pulchrum & bonum est, ita in terra  
 amare, sicut amatur in cœlo, & addiscere  
 jam nunc in hoc mundo, invicem diligere, &  
 complecti, sicut in altero æternum alter alte-  
 rum diligemus. Non loquor hic de simplici  
 amore charitatis, (nam tali erga omnes omni-  
 no homines ferri debemus) sed de amicitia



spirituali, qua videlicet duæ, tres, aut plures animæ suam devotionem, & affectus spirituales, invicem communicant, unumque inter sese cor & anima fiunt. Quam igitur merito beatæ hæ animæ illud canere Psalmistæ possunt: *Ecce! quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum.* Et vere; nam fragrans devotionis balsamum, continua quadam participatione & communicatione, ab uno cordium in aliud defluit, & destillatur, adeo, ut dicere possimus, DEUM super hanc amicitiam benedictionem suam, & vitam in sæculum sæculi effudisse.

Omnes aliæ amicitia videntur mihi nonnisi umbra quædam amicitia esse, cum hac comparatæ, earumque vincula esse tantum velut catenulæ vitreæ, & gypseæ, si cum magno illo sanctæ devotionis vinculo, quod plane aureum est, conferantur.

Nullam itaque amicitiam contrahas, quam talem: loquor de amicitias, quas ipsa ultro inis: neque enim propterea deserere te, aut contemnere oportet amicitias, quas aut natura, aut præcedentia merita te colere jubent: puta parentum, affinium, benefactorum, vicinorum, & aliorum, at de illis loquor, quas ipsamet tibi eliges, & assumes.

Multi fortasse tibi dicent, non debere te particularem aliquam amicitiam, & affectum  
fo-

fovere, aut habere, quod per hanc totaliter animus occupetur, spiritus distrahatur, & invidiarum hoc sit seminarium. Sed, qui hoc tibi consulent, graviter sane errant. Quod enim in multorum sanctorum, & piorum auctorum libris legerint, particulares amicitias, & extraordinarios affectus Religiosis admodum noxios esse, putant idem etiam in reliquis hominibus locum habere. Sed magnum inter utrosque discrimen est. Nam cum in bene formato ac morato Monasterio communis omnium Religiosorum intentio ad veram devotionem feratur, hinc ibi particulares has communicationes facere nefas est, ne, dum, quod commune est, in particulari quæritur, quispiam a particularitatibus illis ad partialitates, & factiones transitum faciat. Cæterum eos, qui inter sæculares homines agunt, & veræ virtutis studium complectuntur, sancta, & pia quadam amicitia sibi invicem uniri constringique opus est; illius enim adminiculo ad bonum invicem animantur, juvant, feruntur. Et sicuti eos, qui in loco plano, & æquo ambulant, necesse non est sibi invicem manum auxiliarem porrigere, sed eos, qui in via salebrosa, & lubrica incedunt, se mutuo sustinere oportet, quo solidius tutiusque gressum figant: sic, qui in Religiosis domibus vivunt, particularibus amicitiiis opus non habent, sed ii, qui in mundo, quo sibi

invicem subsidio, & præsidio sint, in tot salebris, & præcipitiis, quæ illos oportet perambulare. In mundo namque non omnes eundem collineant scopum, non omnes eundem habent spiritum, ergo segregari hic haud dubie nos oportet, & in particulari intento, & scopo nostro consentaneas amicitias inire, atque licet hæc particularitas partialitatem aliquam faciat, ea tamen sancta est, & non aliam divisionem, aut separationem causans, quam quæ est boni a malo, ovium ab hircis, apum a fucis: quæ certe separatio necessaria est.

Negare certe nemo potest, quin suaviore, & specialiore quadam amicitia, & amore Redemptor noster dilexit S. Joannem, Lazarum, Martham, Mariam Magdalenam, quam alios; cum Evangelistæ id testentur. Notum est quoque, Apostolo Petro S. Marcum & S. Petronellam charissimos fuisse, uti S. Paulo Timotheum, & Theclam, S. Gregorius Nazianzenus singularem suam, quam cum magno Basilio habuit, amicitiam nullo pene non loco deprædicat, eamque hoc modo describit: *In utroque nostrum nonnisi una videbatur esse anima, duo animans corpora.* Etsi enim credendum non sit, omnia in omnibus esse dicentibus, credendum tamen est, ambos nos in alterutro nostrum, & alterum in altero existisse: Unus & idem amborum scopus erat, virtutem exercere, & vitæ nostræ studiâ ac proposita futuris bonis applicare, terra hæc mor-



mortali prius quodammodo egredientes, quam moreremur. S. Augustinus testatur, S. Monicam S. Ambrosio, ob raras & singulares, quas in ea notabat, virtutes percaram exstitisse, & illam vicissim hunc tanquam Angelum DEI suspexisse.

Sed quid te, in re adeo liquida, & manifesta tam multis verbis incassum moror? cum Sancti Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Bernardus, & primævi quique servi DEI, particulares quasdam amicitias, sine ullo perfectionis suæ dispendio habuerint. S. Paulus de Gentilibus loquens, ait, eos fuisse homines omnis affectionis, & benevolentiae expertes, id est, nullam cum aliquo amicitiam habuisse. Ad hæc S. Thomas, uti & omnes Philosophi, amicitiam docet, esse virtutem. Loquitur autem de amicitia quadam particulari, cum perfecta amicitia, ex illius sententia, ad plurimos se nequeat extendere, aut cum multis esse. Perfectio ergo sita est, non in eo, ut nullam prorsus quis amicitiam habeat, sed, ut nonnisi bonam, sanctam, & piam.

## C A P U T XX.

*Ecquod sit inter veras, & vanas amicitias  
discrimen.*

**P**Ræclarum jam tibi, & præstans documentum tradam, mea Philothea. Ut Hera-  
cleo-

cleoticum mel, quod adeo virulentum est, alteri, quod adeo salutare, & salubre, est per simile; & periculum est, ne unum alterius loco sumatur, aut ambo simul ( etenim bonitas hujus, noxam illius non impediret ) ita etiam serio videndum, ne his in amicitiiis decipiamur, maxime cum inter diversi sexus homines contrahuntur, quocumque demum prætextu, & specie id fiat; sæpe namque Satan eorum, qui amant, affectus immutat. Pio amore amare alium quis incipit; at nisi serio circumspiciat, & caveat, paulatim se amor frivolus, & nugax insinuabit; dein sensualis, mox carnalis, quin & aliquod in ipso amore spirituali, nisi quis studiose advertat, & advigilet, periculum est, esto hic difficilius immutetur, & degeneret, quod ejus puritas & mundities, eas, quas Satan ei permiscere vult, sordes, & inquinamenta magis prodat, & partefaciat: quocirca cum tale quid aggredi vult, & molitur, id ipsum is facit, quam potest subtilissime, & insensibiliter pene, & imperceptibiliter impuritates suas, ei immiscere, & insinuare satagit.

Amicitiam porro mundanam a sancta, & virtuosa eo cognoscas modo, quo mel Heracleoticum dignoscitur a communi. Etenim istud lingua sapidius, & dulcius est, quam mel ordinarium, idque ob aconitum, quod dulcedinem ejus adauget, & conduplicat. Sic &

& amicitia mundana, ut plurimum magnam sermonum mellitorum farraginem, verbulorum amorosorum, & affectum tentantium apparatus, & a pulchritudine corporali, gratia, & sensualibus dotibus mutuata præconia depromit: sed amicitia sancta linguam habet sinceram, & candidam, & aliud laudare nequit, quam virtutem, & DEI gratiam, quæ unicum est, super quod ipsa subsistit, fundamentum. Mel Heracleoticum jam in stomachum transmissum, vertiginem capitis causatur, ita falsa amicitia vertiginem provocat spiritus, quæ in causa est, ut in castitate quis & devotione vacillare incipiat, adeo ut ad aspectus affectatos, illecebrosos, amatorios, & inordinatos, ad complexus, & favores sensuales, suspiria inordinata, pravas quasdam expostulationes, quasi non ametur, ad parvas, sed affectatas, sed allicientes gesticulationes, elegantiae consecrationem, osculorum captationem, & alias familiaritates, & favores indecentes, ( quæ certa, & indubitata proxime secuturæ ruinæ castitatis præfagia sunt ) eum proflire facit, at sancta amicitia alios oculos non figit, quam sanctos & pudicos, non alia amoris habet indicia, & significationes, quam pura, & candida; non alia suspiria, quam propter cælum, non alia familiaritates, quam quoad spiritum; non alia expostulationes, nisi cum DEUS non



amatur: quæ certa honestatis sunt argumenta.

Mel Heracleoticum visum perstringit, & turbat: sic hæc mundana amicitia iudicium; adeo, ut qui ab eadem capti sunt, tamen male faciant, bene se facere existiment, suasque excusationes, prætextus, & verba veras esse rationes. Lumen quoque horrent, & tenebras diligunt. At sancta amicitia oculos habet acutum videntes, nec se subducit, imo ab hominibus probis videri gaudet.

Denique Heracleoticum mel magnam in ore amaritiem producit: sic falsæ amicitia in verba, & petitiones carnales, & impuras tandem transeunt, & desinunt, & si forte repulsam hic patiantur, in injurias, calumnias, imposturas, tristitias, confusiones, & zelotypias exeunt, quæ non raro in stuporem brutalem, & insaniam desinunt. At casta amicitia semper æqualiter honesta, civilis, & amabilis est, & non nisi in perfectiorem, & puriorem quandam spiritus unionem transit, quæ viva amicitia beatæ, qua cœli ciues inter se uniti sunt, imago est.

Scribit S. Gregorius Nazianzenus, pavonem, dum pennarum suarum orbem & agmen explicat, voce sua pavones foeminas, quæ eam audiunt, ad libidinem quam maxime excitare. Sic cum aliquem videmus, sese ostentare, adornare, & hoc in schemate ad confabulandum, gar-

garrandum, & in mulieris aut puellæ, sine ulla justî matrimonii præensione & intentione auribus lenocinandum venire; aliud hoc ille apparatus, mihi crede, non spectat, quam eam ad aliquam libidinem & lasciviam provocare, & allicere. Mulier autem honesta aures suas obdurabit, ne streperum pavonis hujus clamorem, & incantatoris, caute subdoleque eam incantare conantis, vocem audiat, si enim ei auscultet, quam id malum futuræ & mox secuturæ, perditionis animæ suæ augurium est.

Juvenuli, qui eos gestus, gesticulationes, & amoris indicia edunt, aut alia verba proferunt, quæ a parentibus, maritis, uxoribus, confessoribus videri, audirive nollent, satis hoc ipso produnt, alia longe se dicere, & facere, quam quæ ad honestatem, aut conscientiam spectant. DE Ipara Virgo, cum Angelum virili in forma coram se videret, turbabatur, eo quod sola esset, & inauditas & summas, esto cœlestes, is in ipsam laudes depromeret. Ipsamet puritas, DEUS bone, Angelum virili schemate indutum timet, quidni ergo impuritas virum, esto in Angeli is forma appareat, dum sensuales & humanas laudes in ipsam depromit, timeat, & exhorrescat?

## CAPUT XXI.

*Contra pravas amicitias monita, & remedia.*

**A**T quænam contra hanc fatuorum amorum, ineptiarum, & impuritatum matrem ac seminarium suppetunt remedia? quamprimum ac primos illorum in te sensus perceperis, celeriter te in alteram partem converte, & perfecta quadam vanitatis hujus cum detestatione, ad crucem Salvatoris confugituum sepi, & communi, ne illæ vulpeculæ ad illud propius accedant. Vide, ne ullatenus, aut quoquo modo, cum isthoc inimico in tractationem venias, aut paciscaris, neque dicit, auscultabo quidem illi, sed nihil eorum, quæ mihi oggeret, exequar. Aures quidem illi præstabo, sed cor ei occludam. Esto, per DEUM te rogo, Philothæa mea, his in rebus admodum rigida; cor enim & aures a se invicem dependent; & ut impossibile, torrentem, qui per montis declive cursum suum inchoavit, retinere, aut impedire: ita quoque perdifficile est impedire: ut amor, qui jam in aures sese insinuavit, non statim in cor devolvatur, ac descendat. Capræ, prout quidem scribit Alcmaeon, per aures, & non per nares halitum ducunt, ac respirant. Sed, quia id negat Aristoteles, hinc quidnam  
hac



hac in re certi statuendum sit nescio ; hoc scio , animum & cor nostrum per aures respirare , & sicut per linguam aspirat , & cogitationes suas exhalat , sic per aures respirat ; adeo ut per eas aliorum concepta & cogitationes admittat. Aures ergo nostras sollicite custodiamus , ne quis fatuorum & inanium verborum aër per easdem intret : id enim si fiat , cor nostrum illico pestilente aliquo halitu & aura inficietur. Ad nullam penitus , quocunque etiam prætextu & occasione proferatur , propositionem inhonestam aures accommoda : hoc solo in casu malum non est , sed laudabile incivilem & agrestem esse.

Memento te cor tuum DEO obtulisse , & amorem tuum illi dedicatum esse : sacrilegium ergo foret , vel minima illius portiuncula ipsum privare : imo potius mille perproposita & protestationes ipsum de novo ei sacifica , & intra illa te , velut cervus intra spelæi sui munimina , continens , DEI opem implora ; is tibi haud dubie auxiliabitur , illiusque amor suo tuum clypeo teget , ut is soli illi vivat.

Quod si jam in fatuorum horum amorum retia te indueris , nonnisi quam difficillime te ab iis expedies & extricabis. Quapropter coram Divina Majestate te constitue , & in ipsius conspectu miseræ tuæ magnitudinem , & fragilitatem , & vanitatem tuam agnosce ; &

quam

quam poteris maxima animi contentione coeptos hosce amores detestare, vanam eorum, quam fecisti, professionem ejura, omnibus sponsonibus & promissis tibi & in sinum tuum factis renuntia, & generosissima & absolutissima quadam voluntate, ac resolutione animum tuum liga & contine, & firmum propositum concipe, nunquam amplius ad hanc amoris recreationem & ludum revertendi.

Consulerem quoque quam maxime (si quidem fieri posset) ut ipsum amoris objectum a te abdicares: nam sicuti illi, qui a serpentibus morfi sunt, non facile a morfu illo persanari posse dicuntur, praesentibus iis, qui alias a serpentibus morfi fuere: sic, qui ab amore faueiatus est, aegre ab hac passione curabitur, quamdiu apud illum versabitur, qui eodem vulnere laesus erit.

Loci mutatio apprime conducit ad ardores & inquietudines, tum doloris, tum amoris mitigandos & temperandos. Juvenis ille vanus, de quo Sanctus Ambrosius lib. 2. de Poenitentia, cum longa peregrinatione suscepta diu patria abfuisset, a vanis amoribus, quos alias consecutus erat, liber plane domum rediit, & adeo immutatus, ut cum priscam amantiam obviam habuisset, illaque ex eo percontaretur, num se nosset, & diceret: *Ego sum,* quam primo responderit: *Bene quidem, sed ego non sum ego.* Absentia quippe felicem hanc in  
eo

eo mutationem causaverat. Sic S. Augustinus de se scribit, quo dolorem ex amici sui morte conceptum aliquantulum mitigaret, Tagasta, ubi is decesserat, ad tempus excessisse, & Carthaginem commigrasse.

At, qui se loco subducere, aut alio migrare non potest, quid ei faciendum est? omnem particularem conversationem, omne colloquium clancularium, omne oculorum lenocinium ac nutum, omnem arrisum, atque adeo universim omne communicationum, & illecebrarum, quæ putiscentem, & foetidum hunc ignem fovere natae sunt, genus penitus & absolute rescindat oportet, aut si complex & compar necessario alloquendus est, non alia id intentione, & causa fiat, quam ut ei generosa, succincta, & gravi protestatione æternum illud, quod inire, & facere cum ipso decrevit divortium, significet. Unde omnibus, qui in hosce amorculorum casses, & pedicas inciderunt, palam & alta voce inclamo: abscindite! rescindite! abrumpite! neque enim inanes, & fatuæ hæ amicitiae paulatim & per otium sunt dissuendæ, sed dilacerandæ; vincula hæc non enodanda, sed abrumpenda, & præsecanda: cum hi funes, & ligamenta nihil valeant: neque amor, qui DEI amor adeo contrarius est, tam provide, & evidenter consulendum est.



At dices, esto infamis hujus servitutis catenas, & compedes jam abruperim, adhuc aliquis mihi ejus restabit, & supererit sensus, & ferramentorum notæ, vestigia & vibices pedibus meis, id est, affectibus, adhuc impressa manebunt. Non remanebunt certe, Philothea mea, si tantam mali tui detestationem, & horrorem conceperis, quantam ipsum meretur, si enim ea talis sit, nullum amplius motum senties, præterquam summi cujusdam honoris, quo infamem hunc amorem, nec non omnia, quæ illuc quoquo modo referuntur, detestaberis, & ab omni alia erga objectum repudiatum propensione, & affectu libera remanebis, & solum purissimæ cujusdam charitatis, idque propter DEUM, affectum senties. At si forte, ob doloris tui imperfectionem, pravæ quædam inclinationes adhuc in te remaneant, mentalem quandam solitudinem, prout jam supra te docui, animæ tuæ præpara, ac quam poteris frequentissime in eam te recipe, per sexcentas identidem renovatas spiritu eliberationes omnibus inclinationibus tuis renuntia, atque ex totis viribus tuis illas repudia, & valedicito; sanctos libros solito frequentius legito, ac sæpius, quam consueisti, peccatorum confessionem institue, & Sacram Synaxin suscipe: & cum directore tuo, si fieri potest, aut saltem cum fidei & prudente aliquo homine humiliter, & candide,

de

de omnibus, quæ tibi quoad hoc evenient, suggestionibus & tentationibus, communica. Et, mihi credas velim, DEUS certo ab omnibus passionibus tuis te liberabit, dummodo hisce in exercitiis fideliter perseveres, & pergas. Verum, an non ingratitude erit, inquires, amicitiam contractam tam abrupte & inciviliter abrumpere? O beatam, & peroptandam ingritudinem, quæ DEO nos gratos reddit! Nequaquam, o Philothea! ingratitude hoc erit, sed ingens beneficium, quod amanti præstabis, etenim tua rumpendo vincula, rumpes & illius, cum illa utriusque vestrum fuerint communia: & licet modo, & in præsens beatitudinem ille suam non percipiat, agnoscat eam non multo post, & in gratiarum actionem tecum cantabit: *Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen sanctum tuum invocabo.*

## CAPUT XXII.

*Alia quædam monita quoad materiam de amicitiiis traduntur.*

**A**Micitia magnam quandam inter amantes ipsos communicationem requirit; sine hac enim nec nasci, nec subsistere potest. Hinc sæpe fit, ut una cum amicitia communicatione plures alia communicationes insensibiliter, ex uno corde in aliud, idque per mutam

tuam & reciprocam affectuum, inclinationum, & impressionum infusionem, & effusionem, commigrent, ac sese insinuent. Hoc vero tunc potissimum fit, cum eum, quem diligimus, plurimi facimus, tum quippe ita cor nostrum amicitæ ejus pandimus, ut una cum ipsa illius inclinationes, & impressiones, facili negotio, totæ & penitus, sive ex bonæ sint, sive malæ, eodem penetrent; ac subingrediantur. Apes, quæ Heracleoticum mel conficiunt, nonnisi mel quidem quærunt, sed una cum ipso imperceptibiliter virulentas aconiti, e quo illud colligunt, vires, & qualitates exsugunt. Quamobrem practicandum hic, Philothea, illud dictum Salvatoris nostri JESU Christi, quod (uti quidem prisca nos docuere) sæpius in ore habuit: *Estote boni collybista, & monetarii*; id est, nolite falsam & adulterinam pecuniam bonæ permixtam, nec deterioris notæ aurum cum melioris recipere; sed separate pretiosum a vili. Et bene quidem: vix enim quisquam est, qui non aliquam habeat imperfectionem. Cur autem labes, & imperfectiones amici, una cum amicitia ejus, mixtim, & sine ullo discrimine admittimus?

Certe, quamvis imperfectionem habeat, nihilominus, fateor, amandus est; verum imperfectio illa nec amanda, nec admittenda; amicitia quippe boni alicujus communicatio-  
nem



nem requirit, non mali. Sicuti ergo, qui auriferas Tagi arenas colligunt, aurum, quod in eisdem reperiunt, segregant, secum id asportaturi, at arenam in ripa relinquunt; pari modo, qui bonæ alicujus amicitiae communicationem habent, ipsas imperfectionum sordes & arenam ab ea separare debent, neque eas in animam suam admittere. S. Gregorius Nazianzenus scribit, plurimos S. Basilii amatores & admiratores ita ejus modum agendi æmulari conatos, ut exteriores ejus imperfectiones imitarentur, nimirum in lenta, quasi mens ejus esset abstracta, & cogitabunda, locutione, in barbæ forma, in incessu. Sic videmus maritos, uxores, filios, amicos, dum amicos suos, parentes, maritos, uxores magni faciunt, & diligunt, sexcentas imperfectionunculas, & pravas qualitatulas, in amicitiae mutuæ commercio, vel e condescendentia quadam, vel ex zelo imitationis, contrahere. Hoc porro nullatenus faciendum: unusquisque enim sat multas malas inclinationes habet, ut eum necesse non sit alienas assumere: & amicitia adeo hoc non requirit, ut etiam contra nos obliget, ad mutuam in omnibus imperfectionibus a nobis invicem auferendis operam præstandam. Amicus ergo benigne & suaviter suis in imperfectionibus est supportandus, non vero in iisdem fovendus, multo vero minus eæ in nos transcribendæ.

Porro loquor hic de solis imperfectio-  
bus; nam peccata in amico nec fovenda, nec  
toleranda sunt. Quamobrem amicitia illius  
vel debilis, vel iniqua est, qui pereuntem ami-  
cum videt, & ei minime succurrit; qui eum  
ex apostemate morientem videt, & illum cor-  
rectionis novacula ferire non audet, quo so-  
pes evadat. Vera, & viva amicitia inter  
peccata manere non potest. Dicitur salaman-  
dra ignem, cui incubat, extinguere: sic pec-  
catum amicitiam, in qua habitat, enecat. Si  
transitorium solum peccatum sit, amicitia  
ipsum quamprimum per correptionem elimi-  
nat, & proscribit; si vero firmam ibi sedem  
figat, & commoretur, mox amicitia tota di-  
sperit; nam non nisi in vera virtute ipsa po-  
test subsistere, quanto ergo minus propter ami-  
ciam peccandum? Amicus sit inimicus, cum  
nos ad peccatum pertrahere vult, & amicitiam  
tunc perdere dignus est, cum amicum  
perdere, & ad damnationem pertrahere vult,  
imo vero e certissimis falsæ amicitiae signis est,  
quando cum homine vitioso, & peccatis ob-  
noxio ipsa contrahitur. Quodcunque demum  
id peccatum sit, si is, quem amamus, vitio-  
sus sit, amicitia nostra haud dubie vitiosa est:  
cum enim veram illa virtutem respicere ne-  
queat, falsam aliquam, ac sensualem qualita-  
tem respiciat, necesse est.

Societas, lucri temporalis causa inter mercatores contracta, veræ amicitiaë tantum imaginem habet, ipsa namque non ratione personarum, sed tantum lucri & quæstus, initur.

Denique duæ illæ Divinæ sententiæ duo solida sunt ad vitam Christianam bene consolidandam fulcra & bases, una est Sapientis, cum ait: *Qui timet Dominum, habebit amicitiam bonam*; altera S. Jacobi, dicentis: *Amicitia hujus mundi inimica est DEI.*

## CAPUT XXIII.

*De mortificationis exterioris exercitiis.*

**Q**ui de rebus rusticis scribunt, dicunt, si amygdalo omni parte perfecto, & integro, aliquod verbum inscribatur, & ipsum dein rursus nucleo suo inferatur, ita ut is scire convolvatur, & claudatur, itaque plantetur, omnia quæ in illo jam arbore facta postea succrescent, amygdala, idem verbum inscriptum habitura, & prælatura. Nunquam, Philothea, illorum approbare potui methodum, qui quo hominem reformat, ab exterioribus, a gestibus, vestitu, & crinibus, inquam, initium ducunt.

Imo vero contra, ab interioribus mihi videtur incipiendum. Dicit enim Dominus: *Convertimini ad me in toto corde vestro. Et: Fili, præbe mihi cor tuum.* Cum enim cor actionum



omnium sit origo, & fons; quale illud est, tales erunt & hæ. Sponsus Sacer animam ad amorem invitans: *Pone me, inquit, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Et vere; nam quicumque JESUM Christum intus in corde suo habet, statim eum etiam in omnibus actionibus suis exterioribus habet. Hac de causa, o charissima Philothea! ante omnia cordi tuo sacrum, & sanctum illud symbolum, & verbum VIVAT JESUS! insculpere, & inscribere volui, certus quippe sum, vitam tuam, quæ ex corde, sicut amygdalus e suo nucleo, ortum habet, & nascitur, exinde omnes actiones suas, quæ ejus quodammodo fructus sunt, hoc eodem verbo salutis inscriptas, & insculptas producturam; & sicut dulcis hic JESUS in corde tuo vivet, ita & in omnibus gestibus, ac moribus tuis victurum, & in oculis, ore, manibus, quin & in crinibus tuis, appariturum, ut Sancto cum Apostolo Paulo dicere possis: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me JESUS Christus* Denique, qui hominis cor lucratus est, totum jam hominem est lucratus. Sed hoc ipsum cor, a quo incipere volumus, si- mul etiam edocendum, quomodo gestum, & modum agendi exteriorem componere, & formare debeat; ut in eo non solum sanctam devotionem, sed & insignem sapientiam, & discretionem notare possimus. In quam rem bre-

breviter aliquot monita, & præcepta tibi præscribam.

Si ferre jejunium possis, consulto facies, si præter indictos ab Ecclesia jejunii dies, etiam aliquoties jejunes. Nam præter ordinarium jejunii effectum, qui est, quod per ipsum spiritus elevetur, caro reprimatur, virtus exerceatur, & major in cœlo gloria, ac merces acquiratur, magnum certe bonum est, victoriam de gula relatam firmiter possidere, eamque conservare, & appetitum sensualem, ac corpus legi spiritus subjectum tenere. Et, licet non multum jejunemus, nihilominus inimicus magis nos timet, dum nos jejunare posse novit. Feria quarta, sexta, & Sabbatho veteres Christiani olim plusquam aliis diebus, abstinentiam colebant. Ex illis ergo diebus aliquem tibi selige, qua jejunes, prout tibi, & devotio tua, & directoris tui discretio id consulent.

Dicerem hic libenter id, quod S. Hieronymus ad Lætam scribens: *Longa, & immoderata jejunia plurimum mihi displicent, & in iis præsertim, qui juniores, & teneriores sunt.* Didici per experientiam, asellum de via lassum, diverticula, & subterfugia quæritare, id est, adolescentiores, contractis ob excessum in jejunando infirmitatibus, facile ad delicias, & lautitias in cibis consecandas dilabi. Cervi duplici in casu cursui inepti sunt. Primo, quan-

quando æquo sunt pinguiore, dein, cum plus nimio macilenti. Tentationibus tum maxime obnoxii sumus, cum corpus nostrum, & plus æquo suffartum, & saginatum est, & dum nimis exhaustum, sagina namque ipsum in commodis suis insolens, oppressio vero in incommodis suis desperandum efficit. Et sicuti nos ipsum ferre non possumus, cum nimis pingue, & saginatum est, sic ipsum vice versa nos ferre nequit, cum nimis macilentum est, & attritum. Defectus hujus in jejuniis, ciliciis, disciplinis, & asperitatibus moderationis potiores, & meliores ad operandum annos, plurimorum obsequio, & officiiis charitatis ineptos reddit: quemadmodum olim S. Bernardo factum est, qui deplorat, & plangit, quod in prima conversione nimis in corpus suum austerus fuerit: & qui ipsum in initio male, & dure habuere, hi eidem post ea blandiri, & mollius illud tractare compulsi sunt. An non melius fecisset, si congruenter, & proportionate officiiis, & laboribus, quos conditionis, & status sui ratione eos subire oportebat, ipsum tractassent?

Tam jejunium, quam labor carnem deprimunt, & debilitant. Si ergo labor, quem subibis, ad DEI gloriam necessarius est, aut cum primis utilis; malo laboris, quam jejunii poenam subeas. Atque hic est communis Ecclesie sensus, quæ, ut labores DEI, & pro-

ximi



ximi obsequio utiles subiri commode possint, illos, qui eos suscipiunt, a jejunii etiam præcepto excusat. Uni laboriosum est, & grave, jejunare; alteri, ægris inservire, captivos invisere, confessiones excipere, concionari, affictos consolari, orare, & similia exercitia obire, posterior certe labor utilior est, & majoris valoris, & meriti, quam prior ille jejunandi: nam præterquam, quod labor uterque æqualiter debilitet, fructum tamen posterior habet multo desiderabiliorem. Atque idcirco in genere loquendo, satius est corporales vires impensius æquo conservare, quam eas plus æquo destruere, & exhaurire. Semper quippe, cum volumus, eas destruere possumus, sed non semper, cum volumus, reparare ac refarcire.

Magna in veneratione, & honore habenda mihi videntur illa Redemptoris nostri JESU Christi ad discipulos suos verba, dicentis: *Manducate, quæ apponuntur vobis.* Majoris (uti mihi quidem videtur) virtutis est, indiscriminatim comedere, quidquid tibi offertur, & eo, quo id tibi apponitur ordine, sive id tuo sapiat palato, sive desipiat, quam semper, quod deterius est, seligere.

Licet enim hæc posterior agendi ratio videatur austerior, alia tamen plus continet resignationis; per hanc quippe homo non solum gustui suo, sed, & electioni suæ renun-

tiat; uti nec parva quædam austeritas est, gustum suum ad omnia adaptare, & eum omnibus obviis subicere. His accedit, quod hocce mortificationis genus nequaquam emineat, nulli noceat, & vitæ civili maxime conveniens, & proprium sit. Cibum enim unum rejicere, quo alius sumatur; omnia delibare, & gustare, nihil autem invenire, quod bene coctum, aut satis mundum appareat, ad singulos morsus, & buccellas mysteriosum agere, mollis, delicati, & lancium, ac catinorum perstudiosi, & attenti hominis indicium est. Pluris facio, quod S. Bernardus aquæ, aut vini loco, oleum biberit; quam si dato studio, & ultro aquam absinthiam bibisset: illud quippe signum erat, eum ad id, quod biberet, non respexisse, & in hac eorum, quæ aut comedenda, aut bibenda sunt, non curantia, negligentia, perfecta verborum illorum: *Manducate, quæcunque apponuntur vobis*, praxis consistit. Semper tamen hic excipio cibos sanitati, & valetudini noxios, atque etiam, qui spiritui incommodant, quemadmodum cibos calidos, aromatibus perfusos, fumosos, ventosos permultis nocere certum est, excipio quoque certos quosdam casus, quibus natura nostra recreanda, & adminiculanda est, ut aliquem pro DEI gloria laborem sustineat. Continua, & moderata sobrietas melior est, quam violenta, & intensa quæ-

dan,

dam, diversis vicibus, & interruptim suscepta, & magnis remissionibus intermixta abstinentia.

Disciplina, & flagellum mirabilem quandam vim habet ad appetitum devotionis excitandum, si cum moderatione accipiatur. Cilicium corpus quidem potenter edomat, at ejus usus communiter hominibus conjugatis, atque iis, qui delicatæ sunt complexionis, non convenit; uti, & ii, qui magnos subire labores debent. Quamquam in notabilioribus pœnitentiæ diebus, ipsum, accedente discreti Confessarii consilio, usurpari possit.

Nox dormitioni est destinanda & impendenda, unicuique juxta suam complexionem, quantum scilicet ad utiliter per diem vigilandum requiritur. Et quoniam Sacra Scriptura diversis in locis & modis, exemplum Sanctorum, & rationes naturales matutina crepuscula unice & mire nobis commendant, velut optimam, & fructuosissimam diei totius partem; & quia Dominus ipse Sol oriens, & B. Virgo Aurora consurgens in Litteris Sacris vocatur, hinc probum & pium esse existimo, curare ut vesperi tempestive cubitum concedamus, quo summo mane expergiscamur, & strato exurgamus. Hoc certe tempus amabilissimum est, dulcissimum, & minus impeditiſſimum: in quo & ipsæ aviculæ nos ad expergiscendum, & DEUM laudandum, excitant,



citant, adeo ut mane summo surgere, & sanitati, & sanctitati mire conducat.

Balaam conscensa asina ad Balac Regem ibat, sed quia ejus intentio & propositum recta non erant, hinc eum Angelus Domini, gladium manu vibrans, in via expectavit, ut eum occideret, cum asina, quæ Angelum videbat, tertio velut refractaria substitit. Interim Balaam fuste ejus latera acriter tundit, quo ulterius progrediatur: usque dum tertia vice ipsa sub infessore suo concidens, raro quodam miraculo eum allocuta est, dicens: *Quid feci tibi? cur percutis me? ecce jam tertio?* Et mox oculi Balaam adaperti fuere, qui vidit Angelum sibi dicentem: *Cur tertio verberas asinam tuam? nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidisset, & illa viveret.* Unde mox Balaam Angelo ait: *Peccavi, nesciens, quod tu stares contra me.* Viden, Philothea, Balaam mali totius causa est, & interim miseram asinam cædit, & verberat, ut viribus exhausta concidat. Sæpe idem nobis in rebus nostris quotidianis usu venit: hæc quippe mulier, v. g. videt maritum, aut filium suum, ægrotantem, & mox ad jejunium, cilicium, disciplinam confugit, uti David Rex simili in casu. Ah charissima! miserum asinum tuum tundis, & corpus affligis, & interim ipsi malum tuum imputandum non est, nec illius est causa, sed DEUS iratus gladium suum in te

vibravit. Corrige itaque animum tuum, qui mariti hujus idololatra, & stolidus amator est, quique sexcenta filio vitia indulgebat, ipsumque superbiam, vanitati, & ambitioni destinabat. Videt alius, v. g. se sæpe turpiter in luxuriam, & carnalia peccata labi: interior exprobratio, & sugillatio conscientiam perterrefacit, gladium velut stringens, & vibrans, ut eum sancto quodam timore transfigat. Et ille mox in se revertens; Ah scelesti caro! inquit: ah perfidum corpus, tu in culpa es! tu me prodidisti! quare statim sævis verberibus, immodicis jejuniis, disciplinis immoderatis, & intolerabilibus ciliciis in miseram carnem sævit. O misella anima! si caro tua loqui adinstar asinæ Balaam posset, diceret haud dubie tibi: Cur me scelesti cædis? o anima! DEUS gladium, & vindictam suam, non in me, exerit: tu es rea: cur enim me ad malas & foetidas conversationes adducis? Cur oculos, manus, labia mea lasciviis applicas? Cur me pravis imaginationibus turbas? Tu bona cogita, & ego pravis motibus non concitabor. Pudicos, & honestos tu frequenta, & ego a concupiscentia mea non agitor. Tu, eheu! me in hanc flammam conjicis, & non vis me uri; tu oculis meis fumum ingeris, & inflammari prohibes. Et DEUS haud dubie hisce in casibus dicit: Corda vestra potius percutite, frangite, scindite, conterite:

in hæc enim ira mea defævit, & animatur. Sane, ut quis scabiem, & imperiginem tollat, non tam necesse est corpus lavet, aut balnea ingrediatur, quam sanguinem expurget, & hepar refocillet: ita, ut a vitiis curemur, bonum quidem est, carnem mortificare, sed ante omnia affectus bene sunt expurgandi, & cor restaurandum, & redintegrandum. Porro austeritates corporales, nonnisi e consilio, & suasu directoris nostri usurpare oportet.

## CAPUT XXIV.

### *De conversationibus, & solitudine.*

**C**ONversationes, & familiaritates hominum quærere, & ab iis se penitus avocare, duo sunt extrema, quæ in devotione civili, de qua potissimum hic tecum ago, reprehenduntur. Omnimoda earum fuga aversionem, & contemptum proximi redolet, studiosa vero consuetudo otiositatem, & desidiam spirat. Proximum sicut nos ipsos diligere oportet. Ut autem ostendamus, nos illum diligere, illius conversationem ne fugiamus; ut vero nos ipsos amare ostendamus, apud nos cum sumus, ibi maneamus. Tunc porro apud nos ipsos sumus, cum soli sumus: *de te ipso* inquit S. Bernardus, *primum sollicitus esto, dein de aliis.* Si ergo nihil urgeat, ut in conversationem aliorum te des, aut aliorum admittas, apud



apud teipsam maneto, & corde tuo te oblecta. At si conversatio tibi deforis adveniat, aut justa aliqua causa, ut in eam te des, te provocet, in nomine Domini, Philothea, te in illam da, & benigno proximum tuum animo, & oculo intuere.

Malæ conversationes appellantur illæ, quæ mala aliqua intentione fiunt, aut dum qui in iisdem interveniunt, & pars illarum sunt, vitiosi, indiscreti, & dissoluti sunt; unde hæcuivis fugiendæ, & declinandæ sunt, uti apes fucos, & vespas fugiunt. Nam sicuti illorum, qui a rabidis canibus morfi sunt, sudor, halitus; & saliva pestilens, & noxia est, præsertim pueris, & iis, qui tenerioris sunt complexionis; sic vitiosi, & dissoluti, nisi cum evidenti animi periculo, & discrimine, ab iis præsertim quorum devotio adhuc tenera, & delicata est, nequeunt frequentari.

Quædam adhuc sunt conversationes, quæ ad nihil omnino sunt utiles, præterquam ad recreationem, uti sunt, quæ ex sola a negotiis seriis diversione, & relaxatione instituuntur. Et sicuti his se nemo studio addicere potest, ita otium recreationi destinatum dare iis fas est.

Aliarum vero conversationum finis honestus est, uti sunt mutux visitationes, & certæ quædam congregationes, quæ non nisi ad proximum honorandum instituuntur. Et sicut

cut hæc superstitiose non sunt colendæ, & practicandæ, ita nec in illis contemnendis se oportet incivilem ostendere, sed earum, quod habemus, debito, & partibus cum modestia satisfacere, ut & rusticitatis, & levitatis notam pariter evitemus.

Restat, ut de conversationibus utilibus, & proficuis, quales sunt hominum devotorum, & virtutis studiosorum, aliquid dicamus. Semper tibi, Philothea, perutile erit, sæpe numero in tales incidere. Vineam in oliveto, & inter oleas consortam, uvas unguentosas, & olivarum saporem referentes profert: sic anima, quæ sæpe inter, & cum hominibus piis conversatur, non potest eorum qualitates non participare. Fuci soli mel conficere nequeunt, apibus tamen in eo conficiendo adiumento sunt: sic ut bene nos in devotione exerceamus, maximopere conducit, & prodest, ut cum devotis animabus converseremur.

In omnibus porro conversationibus, candor, simplicitas, dulcedo, modestia semper laudem ferunt, & commendantur. Sunt, qui nullum gestum, aut corporis motum formant, nisi ita affectate, & inepte, ut omnibus sint, & tædio, & nausæ. Et sicut, qui non aliter ambulare velit, quam passus suos dinumerando, ac loqui, nisi cantillando, reliquis hominibus, quibuscum versatur, tædiosus, & molestus esset; sic, qui affectatum

ge-

gestum habent, & nihil nisi ad numerum, & cadentiam agunt, conversationem mire importunam reddunt: & in hoc hominum genere semper aliqua præsumptionis species elucet. In conversatione ergo nostra ordinarie moderata quædam hilaritas prædominari debet. SS. Romualdus, & Antonius mire laudantur, quod, tametsi summis in austeritatibus viverent, facies tamen, & sermo eorum hilaritatem, gaudium, & urbanitatem quandam insolitam præferrent. *Gaude cum gaudentibus*: Et iterum cum Apostolo tibi dico: *Semper gaudeo, sed in Domino, & modestia tua nota sit omnibus hominibus.* Ut vero in Domino gaudeas, gaudii tui causa, & occasio sit non licita modo, sed, & honesta: quod ideo dico, quia sunt quædam licita, quæ tamen honesta non sunt. Ut vero modestia tua aliis nota sit, cave tibi ab insolentiis quibuslibet, & ineptiis, quæ certe semper sunt reprehensibiles, nam v. g. huic offendiculum ponere, ut labatur, alterum denigrare, joci, & gaudia sunt, sed stolidia, & insolentia.

Semper vero præter solitudinem mentalem, (intra quam te, etiam inter maxima conversationum impedimenta, de quibus supra actum est, recipere potes) amanda tibi est solitudo localis, & realis, non quidem ut in eremum & desertum secedas, uti S. Maria



Ægyptia, S. Paulus, Antonius, Arsenius, & alii prisce Anachoretæ, sed ut aliquantisper in cubiculo tuo, horto, & alibi sola agas, ubi magis ex voto mentem & spiritum tuum in corde recolligere, ac bonis sanctisque cogitationibus, vel modica in libro aliquo spiritali lectione animam tuam potes recreare, idque exemplo magni illius Gregorii Episcopi Nazianzeni, qui de seipso loquens: *Ambulabam, inquit, ipse mecum ad solis occasum in litore maris, tempus ita fallens: hac quippe recreatione uti soleo ad animum meum a curis ordinariis nonnihil relaxandum, & restaurandum.*

Atque paulo post refert bonam illam cogitationem & conceptum, quam ibidem formavit, quam alio tibi loco retuli. Ad exemplum item S. Ambrosii, de quo scribit S. Augustinus, se sæpius in cubiculum ejus ingressum (nemini quippe aditus ad eum negabatur) oculis suis vidisse illum legentem, cumque aliquantisper, ut ei loqueretur, expectasset, se, ne quam forte ipsi molestiam crearet, inde se nullo dicto verbo proripuisse, quod crederet, modicum illud temporis, quod magno huic Pastori ad animum nonnihil recreandum, & restaurandum post tot peracta negotia superesset, minime ei auferendum videri. Sic etiam postquam Apostoli die quadam Domino retulissent, se prædicasse, docuisse, & multum operis fecisse, Dominus illis dixit:

*Venite seorsum in desertum locum, & requiescite  
pajillum.*

## CAPUT XXV.

*De modestia, & decentia vestium.*

**A**postolus Paulus mulieres pias (idem & de viris dicendum est) vult honeste & decenter vestiri, ornantes se pudice & sobrie. Porro ipsa vestium atque aliorum ornamentorum decentia & honestas in materia, forma, & munditie sita est. Mundities quidem pene semper in vestibus nostris sine exceptione servanda est, in quibus, quantum quidem possibile est, nullam nos habere maculam, nævum, sordesve oportet. Mundities exterioriorem honestatem quodammodo representat. Unde etiam DEUS Opt. Max. corporalem honestatem & compositionem in iis, qui ad Altare suum, & ministerium accedunt, quibusque devotio præ aliis curanda incumbit, requirit.

Quod autem ad materiam, & formam vestium attinet, decentia, & compositio illarum pluribus in circumstantiis consideratur, temporis videlicet, ætatis, qualitatum, sociorum, & occasionum. Plerumque enim diebus Festis melius, & ornatus solito induuntur homines, pro celebritate Festi, quod agitur: ita tempore pœnitentiæ agenda destina-

to, uti est quadragesima, de vestium cultum multum remittunt. In nuptiis nuptiales vestes induunt, in exequiis, & conventibus funeralibus lugubres, & funebres: apud Principes cultior habitus assumendus, quam vulgo gestari solet, qui inter domesticos est remittendus. Mulier conjugata apud maritum, siquidem is velit, sese ornare, & potest, & debet, at si ab eo absens nihilominus magnifice induatur, peram ex ea, quibus oculis exquisito illo ornatu placere velit? plus autem elegantiarum, & ornatus permittitur puellis, quod licite possint pluribus placere velle, esto non alia id iis intentione faciendum, quam ut unius animum per sanctum matrimonium subsequens sibi concilient. Similiter non vitupero, ut viduæ renubere volentes, aliquo modo sese ornent, dummodo nullam vanitatem suo in ornatu præferant, quod enim jam tum matresfamilias fuerint, & viduitatis desolationem, & luctum sint expertæ, vulgo maturiores, & magis compositæ creduntur. At iis, quæ vere viduæ sunt, & non corpore solum, sed, & animo, nullus omnino ornatus convenit, sed sola humilitas, modestia, & devotio. Si enim viris adhuc placere, & eos in sui amorem pellicere velint, vere viduæ non sunt, aut si nulli placere, nec ullum attrahere cupiant, cur lenocinia, & illicia illa vestium assumunt? Qui nullos admittere

vult



vult hospites, inter signium a domo sua tollat  
neceffe est. Porro senes, cum ornatu affecta-  
to juveniles annos mentiri volunt, semper  
exploduntur, & omnibus ludibrio sunt, ete-  
nim id stoliditas est, quæ non nisi in juveni-  
bus toleratur.

Esto ergo munda, & nitida, Philothea,  
nihilque in vestitu tuo lacerum, dissutum, aut  
male compositum sit. Eorum, quibuscum  
versaris, contemptus quidem est, in schema-  
te, & veste incomposita inter ipsos compa-  
rere: cave tibi tamen ab affectionibus, vani-  
tatibus, curiositatibus, & ineptiis. Semper  
(quantum quidem poteris) in vestitu tuo in  
simplicitatis, & modestiæ partem potius pro-  
pende, quæ & maximum pulchritudinis est  
honestamentum, & optima difformitatis ex-  
cusatio. S. Petrus mulieres, juvenculas ma-  
xime, monet, ne capillaturam plus æquo cri-  
spatam, intortam, annulatam, & serpentis  
more in spiras collectam habeant. Viri, qui  
adeo effæminati sunt, ut hisce nugis, & le-  
nociniis sese applicent, ab omnibus passim ceu  
hermaphroditi sugillantur: scæminarum vero  
adeo comptarum castitas apud omnes male  
audit, & suspecta est, aut si quidem integra  
sit, tot inter ornatus, inantias, & ineptias  
apparere ea nequit. Dicunt, se malam in eo  
intentionem non habere: sed ad hoc respon-  
deo, uti, & alibi respondi, dæmonem sem-

per hinc malam intentionem habere. Vellem equidem, devotus, & devota mea, omnium optime, & scitissime vestiti essent, sed quam possunt minime affectate, & pompose; & sicut in Proverbiis dicitur, ornati essent gratia, decentia, & dignitate. Bene verbo uno dixit S. Ludovicus Rex, unumquemque juxta statum suum vestiri, & indui debere, ita ut nec viri sapientes, & cordati, de eo dicere queant: *Excedis, nec juvenes, nimis infra statum tuum vestiris.* At si forte juniores decenti, & modesto vestitu contenti esse nollint, sapientum saltem consilio acquiescendum est.

## CAPUT XXVI.

*De sermone, & primo, quomodo de DEO loquendum sit?*

**M**edici ex linguæ inspectione magnam sanitatis morbiq; hominis notitiam & conjecturam capiunt: sic vera status animarum nostrarum indicia & notæ sunt verba. *Ex verbis tuis, ait Redemptor, justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Uti manum statim admovemus loco, ubi dolor est, illaque hunc velut indicamus, ita & lingua amoris, quem habemus, nota & signum est.

Si ergo DEUM insigniter diligas, Philothea, sæpe de DEO in familiari cum domesticis, ami-

amicis, & vicinis tuis colloquio loqueris. Et vere, nam: *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.* Atque ut apiculæ osculo suo non nisi mel tractant, & dispensant, sic & lingua tua semper DEO suo mellita & indulcorata erit, & majorem suavitatem non sentiet, quam cum laudes & benedictiones nominis ejus inter labia tua natate, & fluere videbit. Sic de S. Francisco fertur, quod cum Sacrosanctum Salvatoris nostri nomen proferret, labia sua præ dulcedine exsugebat, & lingebat, perinde ac si maximam inde dulcedinem hauriret.

At semper loquere de DEO, ut de DEO, id est, reverenter, & devote, non quasi te ipsam ostentando, aut concionatricem agendo, sed in spiritu dulcedinis, charitatis, & humilitatis, deliciosum & suave devotionis rerumque Divinarum mel (quemadmodum de Sponsa in Canticis dicitur) guttatim, modo in hujus, modo in illius aurem instillando, ac DEUM in animæ tuæ secretis ac penetrabilibus rogando, ut sanctum hunc rorem in eorum, qui te audiunt, animum descendere facere dignetur.

Ante omnia autem Angelicum hoc officium leniter, & suaviter, & non per modum correctionis, sed inspirationis, obeas, oportet, mirum namque, quam potens, rei alicujus bonæ cum suavitate & amicitate facta pro-



positio sit ad animos hominum attrahendos illicium.

De DEO, & devotione, non est perfunctorie, & velut per modum recreativi colloqui, sed semper cum attentione, & devotione loquendum, quod moneo, ut notabilem quandam in re vanitatem corrigam, qua multi, devotionem professi, laborant, dum nullo non loco & tempore sancta & ferventia verba, sed non nisi perfunctorie & leviter, & sine ulla reflexione loquuntur: quæ eum jam protulere, tales se de facto esse putant, quales verba eos produnt, sed nimis quam procul ab eo absunt.

## CAPUT XXVII.

*De verborum honestate, deque reverentia hominibus debita.*

**S***I quis in verbo, ait S. Jacobus, non offendit, hic perfectus est vir. Diligenter itaque cave, ne quod verbum indecens, aut inhonestum proferas: esto enim tute mala id intentione non proferas, tamen qui ipsum audiunt, sinistra & malam in partem id possunt accipere. Verbum inhonestum, in infirmum, & fragilem animum incidens, ita se extendit, & dilatat, sicut stilla olei, quæ in pannum incidit, & aliquando taliter cor occupat, ut sexcentis ipsum cogitationibus & tentationibus*  
in-

inhonestis, & turpibus adimpleat, sicut enim corporis venenum per os ingreditur; sic cordis virus per aurem, & quæ ipsum depromit lingua, homicida est. Licet enim virus, quod ipsa evibravit; nullum fortassis effectum ediderit, quod audientium animos potenti quodam antipharmaco communitos invenerit, per ejus tamen malitiam & nequitiam non stetit, quo minus eos occiderit, & necarit. Nemo vero mihi oggerat, illud minime se intendere: cum Redemptor noster, qui corda hominum per bene novit, diserte dixerit: *Ex abundantia cordis os loqui.* Et posito, nos nullum hic malum cogitare, diabolus tamen multum mali cogitat, & semper occulte inhonestis hisce verbis, ad cor alicujus transadigendum, ceu telis uritur. Ferunt, eos, qui Angelica herba vescuntur, semper halitum dulcem, & bene olentem habere; sic ii, qui honestatem & castitatem, quæ Angelica quædam virtus est, in corde habent, semper pura, civilia, & pudica verba proferunt: indecentia namque, & scurrilia ne nominari quidem a nobis Apostolus vult, aperte denuntians, a nulla re adeo bonos mores destrui, & corrumpi, quam a colloquiis pravis.

Si vero verba inhonesta recte, periphrastice, acute, & subtiliter proferantur, multo sunt nocentiora: quo enim telum acutius est, eo in corpora nostra facilius ingreditur; ita

quo verbum inhonestum acutius est, eo in animum nostrum penetrat profundius.

Qui vero tum se egregios, & politicos existimant, cum hujusmodi verba in conversatione proferunt, ignorant certe, quam ob causam institutæ sint conversationes: esse namque hæc debent, sicut collectarum apum examina, ad suavis, & sanctæ alicujus sermocinationis mel conficiendum, non vero, sicut quædam vesparum, & scarabæorum, ad putridum aliquod cadaver eviscerandum corrodendumque convenientium, colluvies, si quis fatuus indecentia, & inhonestâ quædam verba coram te proferat, illorum te auditu offendi ostende, vel inde quantocius te subducendo, vel alia quapiam ratione, prout tua te prudentia edocebit.

Nihil esse in spiritu, & ingenio alicujus magis vituperabile potest, quam quod aliorum sit irrisor: & hoc DEUS vitium maxime detestatur, & odit ipsumque olim, quam acerrime castigavit. Nihil quoque adeo charitati, & magis etiam devotioni adversatur, quam proximum despiciere, & contemnere. Porro ipsa proximi derisio, & illusio nunquam sine ejusdem fit contemptu: hinc ipsa maximum peccatum est, adeo ut Doctores non immerito asserant, irrisionem pessimum esse offensæ, & injuriæ, quæ proximo verbis quidem irrogari potest, genus: quod reliquæ offensæ cum  
ali-



aliqua offensi æstimatione, hæc vero cum ejusdem despectu, & contemptu fiat.

Sed joci verbales, quos alter in alterum cum modesta quadam recreatione, hilaritate, & delectatione profert ad eam spectant virtutem, quam Græci *eutrapeliam*, nos bonam appellare possumus conversationem; & per hos honesta, & amica quædam e frivolis quibusdam occasionibus, & causis, quas humanæ imperfectiones nobis suggerunt, capitur recreatio. Hoc solum hic cavendum, ne ab honesta hac recreatione, & delectatione ad irrisionem aliquam, & scomma delabamur. Irrisio porro risum e contemptu, & despectu quodam proximi procedentem provocat: sed jocatio risum, qui e candida libertate, fiducia, & familiari jucunditate, quæ cum dicti alicujus elegantia, & subtilitate conjuncta sit, oritur. S. Ludovicus Rex, cum Religiosi ei semel post prandium, de rebus, & materiis quibusdam sublimibus loqui vellent, ajebat: *Non est jam tempus allegandi, Fratres, sed honesto aliquo joco, & quodlibetia propositione mentem oblectandi. Dicat ergo quisque, quod illi lubuerit, honeste tamen.* Quod dicebat in gratiam Principum, & Nobilium ipsum circumstantium, quo illos aliquo modo recrearet, & oblectaret. Sed nos ita, mea Philothea, tempus recreationibus transigamus, ut sanctam æternitatem non amittamus, sed eam devotione conservemus.

## CAPUT XXVIII.

## De temerariis judiciis.

**S**alvator animarum nostrarum in Evangelio ait: *Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Et Apostolus: *Nolite ante tempus judicare, quoad usque Dominus veniat, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Ah! quam temeraria judicia DEO displicent! Judicia filiorum hominum ideo temeraria sunt, quod unus alterius iudex non sit, & quod judicantes, munus & officium Domini usurpent. Temeraria quoque sunt, quod præcipua peccati malitia ab intentione & consilio cordis, quod nobis absconditum quoddam tenebrarum est, dependeat. Temeraria item sunt, quod unusquisque in semetipso judicando satis, quod agat, habeat, ut proximum judicare non sit necesse. Ut autem non judicemur, tam, & æque, necessarium est, alios non judicare, quam nosmetipsos judicare. Ut enim Redemptor noster prohibet unum, ita Apostolus noster præcipit alterum, dicens: *Si nosmetipsos judicemus, non judicabimur.* Sed, o DEUS meus! plane aliter facimus, quod enim nobis prohibitum est, assidue facimus, omni scilicet tempore & loco proximum dijudicantes, &, quod præceptum est, nos ipsos scilicet judicare, nunquam facimus.

Prout autem judiciorum temerariorum causæ sunt, ita & illis remedium est adhibendum. Sunt enim, qui natura acerbi, amari, & asperi sunt, atque hi acerbant, & amarificant, quidquid vident, vel audiunt, & sicut Propheta de iis loquitur, vertunt iudicium in absinthium, non aliter de proximo, quam in omni rigore & asperitate judicantes. Hos cum primis oportet in boni alicujus medici spiritualis manus incidere; cum enim hæc cordis amarities ipsis innata, & naturalis sit, eam perdifficile est exsuperare; & quamvis hæc in se peccatum non sit, sed imperfectio duntaxat, periculosa tamen est, quod temerarium iudicium, & maledicentiam in animam introducat, & vivere faciat. Nonnulli temere judicant, non tam e naturali aliqua acerbitate & amaritie, quam e superbia, ratio suum se honorem tantum extollere, quantum alienum deprimunt. Homines scilicet arrogantes, & præsumptuosi, qui seipsum mire suspiciunt, adeoque se sublime in sui ipsorum æstimatione efferunt, ut reliquos omnes velut parvum & demissum quid despiciant. *Non sum*, ajebat stolidus ille Pharisæus, *sicut ceteri hominum*. Quidam vero apertam hanc superbiam non habent, sed parvam duntaxat in corde, ex alieni mali consideratione complacentiam sentiunt, quo oppositum, quod se habere credunt bonum, dulcius degustent, &

alii



aliis gustandum exhibeant. Hæc autem complacentia adeo occulta & imperceptibilis est, ut nisi quis perspicacissimo sit oculo, eam videre nequeat, imo nec qui eadem laborant, eam agnoscant, nisi ipsis ad oculum demonstretur, & veluti palpanda detur. Alii, ut sibi blandiantur, & se apud seipos excusent, ac conscientiarum suarum remorsum aliquatenus mitigent, alios iis peccatis, quibus ipsi dediti sunt, aut alteri cuiquam æque enormi, obnoxios judicare gaudent: putantque ob peccantium & reorum multitudinem, peccatum suum minus reprehensibile esse. Multi e sola, quam ex ipsa de moribus & conditionibus hominum, idque per modum exercitii, ingenii, philosophatione, & divinatione, capiunt voluptatem, ad temere judicandum feruntur. Et si forte infelici aliquo casu suis in judiciis veritatem divinent, ita in ipsis ulterius in hisce progrediendi audacia crescit, & appetitus, vix ut ab iis avelli queant. Alii judicant e sola passione, ut semper bene censeant, & cogitent de eo, quod amant, male vero de eo, quod oderunt: præterquam uno in casu, mirabili quidem, vero tamen, in quo amoris excessus in causa est, ut male judicemus de eo, quod diligimus. Monstruosus sane effectus, ac ex impuro, imperfecto, turbato, & ægro amore, zelotypia, inquam, pro-

proveniens, quæ ( uti unicuique notum est ) ob simplicem, & nudum oculorum conjectum, quin etiam ob minimam subrisionem, alios perfidiæ, & adulterii accusat. Denique timor, ambitio, & aliæ id genus animi imbecillitates, & morbi, ad temerariam suspicionem, & iudicium eliciendum permultum sæpe conferunt.

At quodnam malis his adhibendum remedium? ut qui Ophiusæ herbæ Æthiopicæ succum bibunt, nullo non loco serpentes, & horrenda monstra videre se putant: sic, qui superbiam, invidiam, ambitionem, odium deglutire, nihil omnino vident, quod malum, & reprehensione dignum non esse putent, illi, ut sanitati reddantur, vinum palmeum bibant necesse est: idem dico de his. Ergo quam plurimum potes, de sacro charitatis vino bibas, & ipsa te a pravis hisce humoribus, qui te sinistra hæc iudicia ferre cogunt, immunem præstabit. Charitas metuit, ne quod malum, videat, tantum abest, ut ipsum ultro quæsitum eat, & quando forte in ipsum incidit, & videt, faciem suam avertit, ac dissimulat, imo, & oculos occludit ante, quam videat, ad primam scilicet ejusdem eminus perceptionem; ac deinde sancta quadam simplicitate credit, non sui esse hoc malum ipsum, sed duntaxat illius umbram, aut phantasma, quod si violentis quibusdam indiciis, ipsum met

met esse fateri cogatur, illico sese ab eo aver-  
 tit, ejusque imaginem e memoria sua delere  
 satagit. Charitas insigne est contra mala omnia  
 remedium; at imprimis contra hoc, de quo  
 loquimur. Ictericis, & aurigine, morboque re-  
 gio laborantibus, omnia videntur esse flava, &  
 aurea, quos si quis ab hoc liberare malo velit,  
 herbam chelidonium sub planta pedis iis alli-  
 get, necesse est, ut eam ferant. Peccatum  
 temere de proximo judicandi spiritualis quæ-  
 dam aurigo est, quod facit, ut quicumque  
 eadem laborant, omnia iis prava appareant,  
 & mala: at quisquis ab eo curari vult, re-  
 media non oculis, non intellectui, sed affe-  
 ctibus, qui animæ pedes sunt, apponere de-  
 bet. Si enim affectus tui placidi & benigni  
 sint, etiam judicium tuum placidum erit; si  
 charitate repleti, repletum quoque erit judi-  
 cium tuum. Tria mirabilia tibi rei hujus  
 exempla hic adferam. Dixerat Isaac, Rebec-  
 cam suam esse sororem: Abimelech videns  
 illum cum ea joculari, id est, benevole & mari-  
 taliter eam habere, statim inde collegit, ipsam  
 ejus esse uxorem, e contra malignus & perver-  
 sus aliquis hoc videns, concubinam & scortu-  
 tum ejus esse potius censuisset, aut si forte  
 soror exstitisset, incestis eos invicem amori-  
 bus detineri, at Abimelech ad sanio-rem & ju-  
 benigniorem hoc de facto opinionem, & ju-  
 dicium potius inclinavit. Id ipsum & nos  
 sem-



semper facere oportet, Philothea, de proximo scilicet, quantum facere poterimus, bene & benigne judicare, si centum facies & intuitus opus & actio aliqua habere posset, semper ipsa intuenda in ea, quæ pulcherrima est. Erat Beata Virgo Maria prægnans, & uterum ferebat: Sanctus Joseph ipsum quidem notabat, sed quia eam alias vita sanctissimam, purissimam, & plane Angelicam videbat, nunquam sibi persuadere, aut credere potuit, eam contra, atque oportebat, aut contra matrimonii fidem concepisse, unde eam deserendo, statuit judicium omne DEO committere. Esto enim ad sinistre de hac Virgine sentiendum, fortissimo & violento quodammodo argumento niteretur, nunquam tamen ad illam dijudicandam animum potuit inducere. Sed quare? quia, ut Spiritus Sanctus de eo testatur, erat justus; justus enim, cum nec factum, nec intentionem ejus, quem aliunde hominem probum & honestum novit, excusare amplius potest, adhuc tamen non vult ad ipsum dijudicandum prorumpere, sed hoc ex animo delere, & eradere conatur, DEO judicium omne committendo. Ita Redemptor noster Christus, cum se Cruci affigentium peccatum plane excusare, utpote evidentissimum, non posset, ejus saltem malitiam imminuit, ipsos, quid facerent, nescire asserens. Cum ergo proximi peccatum ex-

cusare non possumus, ipsum saltem dignum, cui alii compatiantur, reddamus, causæ, quam possumus optimæ & tolerabilissimæ, puta ignorantia, aut infirmitati id adscribentes. At dices, nunquam ergo proximum dijudicare licitum est? nunquam penitus. DEUS namque est, Philothea, qui reos in iudicio & iustitia iudicat. Tametsi fatendum sit, illum per Magistratum & iudicum vocem loqui, quo nostris auribus se intelligibilem reddat, hi namque ejus sunt legati & interpretes, nihilque eos proferre oportet, quam quod ante ab illo didicere, cum illius sint oracula. At si secus faciant, propriorum affectuum & passionum in iudicando instinctum sequentes, tunc ipsi, & non DEUS, iudicant, unde etiam dijudicabuntur. Homines enim, in quantum homines, proximum iudicare nefas est.

Aliquid videre, aut cognoscere, non est iudicare: iudicium enim, saltem juxta modum loquendi Sacrae Scripturae, aliquam difficultatem, parvam, aut magnam, veram, aut apparentem, quæ diluenda sit, præsupponit. Unde ait, eos, qui non credunt, jam iudicatos esse, quod nullum de illorum damnatione sit dubium, non est ergo malum de proximo dubitare, quia non est prohibitum dubitare, sed iudicare: dubitare tamen, & suspicari non licet, nisi stricte admodum, & quantum rationes & argumenta ipsa nos dubitare cogunt;

alio-

alioqui & dubitationes & suspiciones temerariæ sunt. Si malignus quispiam Jacobum apud puteum Racheli osculum dantem, vel Rebeccam armillas & inaures ab Eliezer homine illis in locis incognito acceptantem vidisset, sinistre haud dubie de duobus illis honestatis & castitatis exemplis judicasset, sed sine ulla ratione & fundamento. Nam cum opus aliquod ex se, & per se, indifferens est, temeraria certe suspicio est, malam inde consequentiam elicere, nisi cum multæ circumstantiæ magnum argumento robur addunt. Ad hæc temerarium judicium est, aliquo ex opere consequentiam elicere, ut qui ipsum fecit, dein sugilletur, & carpatur. Sed de hoc ipso postea apertius loquar, & pluribus.

Illi vero, qui magnam conscientiarum suarum curam & rationem habent, temerariis judiciis obnoxii non sunt. Nam quemadmodum apes, dum nebulas, aut tempus nubilum vident, & præfagiunt, intra alvearia sua se, ad mella sua dispensanda recipiunt; sic piorum hominum cogitationes, si quid nebulosum in proximi operibus & nubilum vident, foras non prodeunt, sed, ne quid tale videre cogantur, intra cor suum se recolligunt, ut illic bona emendationis & correctionis propriæ proposita dispensent.

Negligentis & desidii animæ est, vitæ alienæ correctioni intendere; illos excipio, qui



bus ex officio alios, tum in familia privata, tum in Republica, curare incumbit, bona namque conscientiae ipsorum pars in alienae curatione & inspectione consistit. Suo ergo officio cum amore & lenitate fungantur, & hoc ubi egerint, videant, ne passim in aliena facta inquirent, sed intra se maneant.

## CAPUT XXIX.

### *De detractiōe.*

**E** Temerario iudicio nascitur inquietudo, proximi contemptus, superbia, sui ipsius complacentia, & alii plurimi perniciosi effectus, inter quos detractio, & maledicentia primum facile locum obtinent, quasi vera conversationum pestis. Utinam e sancti Altaris carbonibus unum habeam, ad hominum labia tangenda, ut illius adminiculo ipsorum iniquitatem auferam, & peccatum emundem, ad instar Seraphini illius, qui hac ratione labia & os Isaiae mundavit! Si quis detractiōnem e mundo tolleret, magnam peccatorum & iniquitatis illius partem auferret.

Quisquis bonam proximi famam injuste detractiōe violat, praeter peccatum, quod admittit, ad illam reparandam tenetur, tamen si pro detractiōnis diversitate, diversimode: nullus enim caelum cum alterius bono ingredi potest; porro inter bona omnia externa,

fa-

fama, & bonum nomen primatum tenet. Detractio certe quædam homicidii est species, triplicem enim habemus vitam: spirituales, quæ in DEI gratia sita est; corporalem, quæ in anima; & civilem, quæ in bona fama. Primam nobis aufert peccatum, mors secundam, tertiam detractio. Porro detractor uno solummodo virulentæ linguæ suæ ictu tria plerumque homicidia committit, etenim suam, & ejus, qui audit, animam homicidio enecat spirituali, civilem vero vitam aufert ei, cujus nomen ac famam lethali maledicæ linguæ suæ morfu dilacerat ac proscindit. Nam, ut S. Bernardus dicere solebat, tam is, qui detrahit, quam qui detrahentem audit, diabolium in se habent, is quidem in lingua, at hic in auribus. Regius Propheta de maledicis, & detractoribus agens: *Acuerunt, inquit, linguas suas sicut serpentis.* Porro serpens linguam bifidam, & bifidam habet, teste Aristotele; talis autem est detractoris lingua, quæ ictu uno, & auscultantis aurem, & famam ejus, de quo male loquitur, ferit, & intoxicat.

Conjuro itaque te, charissima Philothea, ut nulli unquam cum directe, tum indirecte detrahas, cave, ne quod proximo falsum crimen aut peccatum imponas, ne ea, quæ occulta sunt, & in corde tuo latent, palam ac in apertum proferas, ne ea, quæ aperta ac manifesta sunt, verbis exaggeres, ne bonum

ejus opus sinistram in partem interpreteris, ne bonum, quod alteri inesse nosti, neges, aut maligne dissimules, aut verbis imminuas, omnibus enim hisce modis gravissime DEUM offenderes; at in primis falsum proximo crimen imponendo, atque in ejus præjudicium veritatem, quam nosti, negando: etenim duplex id peccatum est, mentiris scilicet, & simul proximo noces.

Qui quando detrahunt, quoddam honorationis proximi exordium præmittunt, & inter detrahendum jocos intermiscunt, & elegantias, omnium detractorum vaferrimi, & virulentissimi sunt. Amo illum, inquit, fautor, & cæteroqui ipse egregius, & scitus homo est; dicendum tamen, quod res est, gravissime haud dubie peccavit talem perfidiam committendo. Pia probaque est filia, sed impegit, & deprehensa est, & aliæ id genus præmolitiones, & præfationes. Artificium non vides? quemadmodum qui sagittam ex arcu ejaculari vult, eam prius quam potest maxime ad se attrahit, sed non aliter, quam ut violentius, & majore cum impetu deinde eam emittat: sic hi maledicentiam ac detractionem ad se retrahere videntur, verum non nisi, ut eam violentius emittant, quo in audientium animos penetrent profundius. Detractio per modum, & speciem jocantis dicta, omnium est crudelissima, & atrocissima,  
ut



ut enim cicuta præfens per se venenum non est, sed satis lentum, & cui facile adhiberi queat remedium, at una cum vino sumpta, ita hominem intoxicat, nullum ut ab arte remedium affulgeat: sic si detractio, quæ per se facile unam ingressa aurem, per alteram egrederetur (uti communiter loqui solemus) firmam tunc in audientium mente sedem figit, cum acuto, & subtili aliquo verbulo proponatur. *Venenum aspidum*, ait Psalmographus, *sub labiis eorum*. Aspis ita mordet, vix ut momordisse percipiatur, ejusque venenum initio delectabilem quandam pruriturum excitat, ejus adminiculo cor, & viscera se dilatantia venenum recipiunt: cui nulla postmodum arte subveniri queat.

Ne dicas: talis est ebriosus, esto eum temulentum videris: talis est adulter, esto eum in adulterio deprehenderis: talis est incestuosus, tametsi incestum commisisse noris, unus enim actus rem non denominat. Sol semel stetit, ut Josue suam posset victoriam profiteri, & semel obscuratus est, cum suam de cacodæmone, & mundo victoriam Redemptor retulit; non propterea dicendum, illum aut immobilem esse, aut obscurum. Noë semel inebriatus a vino est, uti & Loth, qui præter hoc etiam infamem incestum admisit, uterque tamen ebriosus non fuit, nec ultimus incestuosus, uti nec Sanctus Petrus sanguina-

rius, quod semel sanguinem effuderit: nec blasphemus, quod semel sub anathemate dixerit sese hominem ( Dominum suum ) non nosse. Ut a vitio, aut virtute aliqua quis nominem sortiatur, aliquem in utroque progressum fecerit, habitumve contraxerit, oportet. Mera ergo impostura est, dicere, hunc aut illum, cholericum, aut furem esse, quod semel eum iratum, & furatum videris. Imo etiam si quis etiam longa tempore vitiosus fuerit, & vitiis indulserit, adhuc mentiendi se periculo exponit is, qui eum vocat vitiosum. Simon Leprosus Mariam Magdalenam peccatricem appellabat, quod paulo ante peccatrix fuisset, nihilominus mentiebatur, neque enim jam peccatrix erat, sed sanctissima pœnitens; unde etiam Dominus ejus patrociniū suscepit. Jactabundus ille Pharisæus Publicanum ut infamem reputabat peccatorem, forte etiam injustum, adulterum, raptorem; sed gravissime errabat, nam hic ipso in loco justificatus est. Si ergo ea DEI sit bonitas, ut vel unicum momentum satis sit, ad gratiam ejus impetrandam, & recipiendam, quomodo certum esse possumus, ut quis, qui heri erat peccator, sit & hodie, & non justificatus? dies hesternus de præsentis ferre judicium non debet, uti nec præsens, & hodierna, de præcedente: sola dies suprema, & novissima de reliquis omnibus superioribus fert judicium.

Nunquam

quam ergo, sine mentiendi periculo, aliquem dicere possumus malum aut improbum. Hoc solum, si quid dicendum est, dicere licet, talem actum malum eum alias fecisse, tali in tempore male vixisse, hodie male vivere, ac ex eo, quod elapsum est, nulla de præsenti, nec de hesterno, ex eo, quod hodie videtur, multo vero minus de die crastina facienda consequentia est.

Quamquam diligentissime, & studiosissime cavere nos oporteat, ne proximo detrahamus, videndum tamen, ne in aliam extremitatem, in quam plurimi incidunt, impingamus, qui quo detractionem vitent, ipsum vitium dilaudant, & bene honorificeque de eo loquuntur. Si quem vere maledicum, & detractorem noris, noli, quo eum excuses, liberum, & non simulatum dicere: si quem aperte vanum, noli eum generosum, & elegantem vocare: nec commercia, & familiaritates periculosas candores nomina, & sinceritates: inobediendiæ noli nomen zeli indere, nec arrogantiæ libertatis, lasciviam denique noli amicitiam appellare. Non debes, Philothea, dum unicum detractionis peccatum fugere conaris, alia peccata laudare, adulari, fovere; sed rotunde, & candide malum, ut malum, carpere, & vituperabilia vituperare: quod dum facimus, DEUM glorificamus, sed his accedentibus conditionibus.



Ut enim bene, & utiliter vitia aliena carpantur, necesse est, ut utilitas, aut ejus de quo loquendum, aut ejus apud quem loquendum, id exigat. Refert quis, v. g. audiente me, apud puellas, & virgines familiaria horum vel harum commercia, quæ evidenti sunt cum castitatis periculo conjuncta; hujus, & illius, utroque in sexu, in verbis gestibusque notorie lubricis lasciviam, & dissolutionem; nisi hoc ego aperte, & plane fugillem, sed ipsum excusare velim, teneræ illæ animæ occasionem hinc sumunt ad simili in casu se effundendas, & lubricè agendum: illarum ergo utilitas exigit, ut illa ipso in loco fugillem, & reprehendam; nisi occasionem commodam velim expectare, ad salutare hoc officium opportunius, & cum minori eorum, de quibus agitur, dispendio, & offensione peragendum.

Præterea nonnunquam ex officio, proprie, & privatim ad me spectat, de illa materia agere, quando, verbi causa, primum in aliqua congregatione, & conventu locum obtineo, & quando, nisi loquar, vitium illud approbare videbor: si autem e minimis, & posterioribus sim, non est meum, censorem, & reprehensorem agere. Hoc autem inprimis videndum, ut in verbis non excedam, ne superfluum aut nimium aliquod verbum proferam. Si ergo, v. g. nimiam adolescentis hujus

jus, & puellæ illius, familiaritatem, quod æquo  
 indiscretior, & periculosior sit, fugillem, quam,  
 DEUS bone, cavendum, & in statera, & æ-  
 quilibrio verba ponderanda sunt, ne in refe-  
 rendo rem vel verbo exaggerem? si nonnisi  
 nuda sit mali apparentia, eaque admodum in-  
 certa, aliud præter hoc non addam; si non-  
 nisi simplex sit imprudentia, nihil insuper ad-  
 jungam; si nec imprudentia sit, nec vera ma-  
 li apparentia, sed duntaxat, quod forte ali-  
 quam malignus aliquis detrahendi, & male  
 loquendi hinc occasionem haurire possit, aut  
 nihil omnino dicam, aut hoc tantum: lingua  
 mea, quamdiu de proximo loquor, non ali-  
 ter in ore meo est, quam novacula in manu  
 chirurgi, inter nervos, & cartilagine car-  
 nem secare volentis. Necessè proinde est,  
 ut quam dare volo incisionem, ita attempe-  
 rata sit, & in medio versetur, ut ad rem ni-  
 hil addam, nihil de ea demam, sed simplici-  
 ter de ea dicam, quod est. Denique hoc ob-  
 servandum, ut, cum vitium fugillas, perso-  
 nam, in qua ipsum habitat, quam potes mi-  
 nime attingas.

De peccatoribus infamibus, publicis & no-  
 toriis libere, fateor, loqui licet, dummodo  
 id in spiritu charitatis & compassionis fiat,  
 non vero ex arrogantia & præsumptione, aut  
 cum in alieno malo complacentia; nam po-  
 stremum hoc, vilis & abjecti animi nota est.

Inter omnes excipio declaratos & denunciatos DEI & Ecclesiæ ejus inimicos; in hos namque, quam fieri potest maxime, detonandum, & debacchandum est, uti sunt hæreticorum & schismaticorum sectæ, earumque capita & antesignani. Charitas est, lupum, dum inter oves versatur, exagitandum & opprimendum indicare, quocumque demum loco id fiat.

Nemo non eam sibi libertatem arrogat, ut Principes libere carpat, & censuret, imo & integram generaliter nationem, prout erga eam quisque afficitur, carpere, scrupulo sibi multi non ducunt. Tu vide, Philothea, ne in hoc unquam impingas, nam præterquam, quod id DEUM offendat, mille tibi excitare lites & jurgia posset.

Si alios traduci & accusari audis, accusationem, siquidem juste id facere potes, dubiam reddere conare, si facere nequeas, accusati intentionem excusa; si ne hoc quidem potes, compassionem erga eum aliquam ostende, aut sermonem illum abrumpe, tibi, nec non omnibus audientibus, in memoriam reducens, eos, qui in nullos defectus incidunt, omnem illius laudem DEO adscribere debere.

Detrahens, blando aliquo sermone, ut ad se redeat, effice, & si quas ex opposito de eo, cui detrahitur, virtutes & bona noris, in medium profer.



## CAPUT XXX.

*Alia quædam quoad locutionem documenta.*

**S**it lingua nostra suavis, candida, sincera, simplex, nativa, & fidelis. Cave tibi a duplicitatibus, artificiis, & simulationibus, esto, consultum, & laudabile non sit, ubique & semper quamlibet veritatem proferre, nunquam tamen licitum, aut permissum est, veritati refragari. Affuesce, nunquam studio, aut data opera, vel ad te excusandum, aut alia quacunque de causa, mentiri, memor, DEUM esse DEUM veritatis. Si inadvertenter mendacium proferas, & ipso in loco id per aliquam explicationem, aut reparationem corrigere possis, corrige: vera namque excusatio magnam ad mendacium excusandum gratiam & vim habet.

Tametsi interdum discrete & prudenter aliquo verborum artificio & colore veritatem palliare, & tegere liceat, raro tamen id faciendum, nisi in re magni momenti, quando nimirum gloria & obsequium DEI manifeste id exigit: hæc alioquin artificia periculosa sunt, nam uti in Sacris Litteris legimus, Sanctus Spiritus in spiritu & animo ficto, ac duplici minime habitat. Nullum adeo bonum ac laudabile artificio & duplicitas est, quam simplicitas prudentiæ mundanæ, & artificia

car-

carnalia ad filios hujus sæculi spectant, ac filii DEI recte, & sine ullis ambulat ambagibus, & cor eorum duplicatum non est, *qui ambulat simpliciter*, ait Sapiens, *ambulat confidenter*, mendacium, duplicitas, & simulatio, imbecillum & vilem produnt animum.

Scripserat Sanctus Augustinus Lib. 4. Confessionum, animam suam, & amici ita inter se unitas fuisse, ut nonnisi una essent anima, & illo demortuo, vitam hanc sibi gravem & horrore fuisse, quod nonnisi medius jam vivere nollet, & quod ipse etiam propterea fortasse mori timuerit, ne amicus ipsius omnino & totus moreretur. Verum cum verba hæc illi postea nimis artificiosa & affectata viderentur, in Retractionum suarum libro ipsa revocat, & meram appellat ineptiam. Vides, Philothea, quam sancta hæc anima circa verborum affectationem, & artificium scrupulosa fuerit, & ne quam inde notam contraheret, caverit. Magnum profecto vitæ Christianæ ornamentum est, fidelitas, candor, & linguæ sinceritas. Unde Psalmographus: *Dirigi, custodiam vias meas ne offendam in lingua mea. Pone Dominum custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.*

Monitum S. Ludovici Regis est, nunquam alicujus dictis aut verbis contraire, nisi ex iis assentiendo aliquod peccatum, aut magnum damnum sequeretur: idque suadebat, ut hæc ratio-

ratione omnibus concertationibus, contentionibus, & litigiis aditus occluderetur. Porro cum alicui contradicendum erit, aut alterius opinioni nostra opponenda, magna id fieri debet cum benignitate ac dexteritate, ita ut alterius ingenium, & animum, ad nobis assentiendum, cogere nolimus; ut taceam, nihil lucrari nos, cum dure, & aspere in hoc procedimus.

Pauca loqui (quod tantopere a priscis est Philosophis commendatum) non ita intelligendum est, quasi paucis nos oporteat verbis uti, sed, ne multa inutilia, & supervacanea proferamus, etenim in loquendo non tam numerus, quam qualitas verborum spectanda est, & duæ sunt extremitates cavendæ, nam qui scientem, & severum virum nimis se exhibet, & in familiaribus, quæ in conversationibus instituuntur, colloquiis symbolam suam verborum contribuere superciliose detrectat, ostendit, meo judicio, se aut suis auditoribus non confidere, aut eos ex arrogantia contemnere, qui autem contra perperuo garrit, & jugiter verba effutit, ut aliis sua proferendi nec otium, nec tempus, nec commoditatem, prout velent, concedat, levem se is, & verbosum esse demonstrat.

Improbabat S. Ludovicus, ut dum plures adsunt, in secreto quis, & velut consulendo, loqueretur, præsertim in mensa, ne quam  
aliis



aliis occasionem det, suspicandi mala de se a duobus illis capita conferentibus proferri. Qui ad mensam, inquit, bonos inter viros sedet, & aliquid faceti & recreativum proferre vult, ipsum ita proferat, ut presentes omnes intelligant; quod si alicujus momenti negotium sit, quod universos scire nolit, prorsus taceat, nec de eo verbum faciat.

## CAPUT XXXI.

*De oblectamentis, & recreationibus, & primum de licitis, & laudabilibus.*

**A** Nimum, quin & corpus, nonnunquam relaxemus necesse est, idque aliqua recreatione. S. Joannem Evangelistam, ut Cassianus de eo refert, quadam die venator reperit, perdicem manu tenentem, & se cum eo oblectantem. Sciscitatur venator, cur, cum tanti vir esset nominis & sanctitatis, tam vili exercitii generi tempus impenderet? cui S. Joannes: Cur tu arcum non semper tensum habes? Ne, inquit ille, si semper tensus & curvatus maneat, de rigore, dum adducere eum oportebit, multum remittat, minorique telum contensione emittat. Noli igitur mirari, replicat Apostolus, si de animi mei rigore & attentione nonnihil remittam, recreationis aliquantulum captando, ut postea attentius & intense me contemplationi applicem.

cem. Vitium & peccatum haud dubie est, si quis adeo austerus, agrestis & severus sit, nullam ut sibi, aut aliis, recreationem quamcunque indulgere velit.

Foras prodire, ambulare, facietis & jucundis sermonibus tempus fallere, testudinem, aut aliud quodcunque musicum instrumentum pulsare, canere, venatum abire, recreationes adeo honestæ sunt, ut, ad illis bene utendum, nonnisi, quæ debitum omnibus rebus ordinem, tempus, locum, quantitatem modumque præscribit, prudentia opus sit.

Lusus, in quibus ipsum lucrum habilitati, & industriæ tum corporis, tum animi in præmium, aut compensationem est, uti sunt lusus pilæ, tam minoris, quam majoris (quam sollem vocant) clavæ, torneamentorum ad annuli signum, scachorum, fritilli, ex seipsis bonæ, & laudabiles recreationes sunt, cavendum tantum, ne quis excessus committatur, tum in tempore, quod illis impenditur, tum in pecunia, quæ exponitur lucranda, si enim plus æquo temporis illis impendatur, non jam amplius recreatio, sed mera occupatio & studium est; neque iis tam animus corpusve relaxatur, quam contra obstupescit, & obruitur. Si enim quinque, aut sex horis continuis lusu scachorum luseris, ab eo surgens, exhaustus velut eris, & spiritu defatigatus. Diu pila in spheristerio ludere, non tam cor-

pus recreare est, quam id obruere. Adhæc, si pretium, quod exponitur, plus nimio sit, ludentium affectus illuc extra regulam abripiuntur, ut addam, iniquum esse, tam enorme pretium, tam parvi momenti dexteritatibus & industriis, itaque inutilibus, uti sunt artes, & habilitates lusuum, impendere, & applicare. Ante omnia vero cave, mea Philothea, ne affectum tuum his omnibus applices: quantumvis enim honesta sit recreatio, vitio certe non caret, animum ei, & affectum applicare. Non dico, non esse inter ludendum e lusu voluptatem capiendam (alioquin enim non foret recreatio) sed animum & affectum illi non esse adjungendum, ut mirum illum impense desideres, totam te illi applices, & solícite anxieque erga ludendum feraris.

## CAPUT XXXII.

### *De lusibus vetitis.*

**L**Ufus alearum, chartarum lusoriarum, & similes, in quibus lucrum a casu, & forte maxime dependet, non solum periculosæ sunt recreationes, uti tripudia, verum etiam simpliciter, & in se malæ, & vituperabiles: hinc legibus tam civilibus, quam Ecclesiasticis vetantur. Sed quid mali, inquires, in his subest? dicam: lucrum hisce in lusibus non pro



pro eo, atque æquum, & rationabile est, sequitur, sed prout fors, & fortuna cadit, quæ sæpe favet ei, qui habilitate sua, & industria id minime promerebatur. Ergo ratio hic violatur. Sed, dices: Ita inter nos convenit, & stipulari sumus. Bene quidem, sed non aliter ea stipulatio juvat, quam ad declarandum, quod, qui lucratur, nullam in ludendo fraudem, aut dolum sociis committat; inde tamen non sequitur, quod hæc conventio, & stipulatio rationi dissentanea non sit, uti, & lusus ipse: lucrum enim, quod solius industriæ esse præmium debet, fortis nullum omnino præmium merentis, eo quod minime a nobis dependeat, præmium factum est.

Ad hæc, lusus hi recreationis nomine vocantur: & ad hominem recreandum adinventi sunt; non tamen sunt recreatio, sed violentæ quædam animi occupationes. An non enim violenta quædam occupatio est, quod animus continua quadam attentione intendatur, & extendatur, & perpetuis inquietudinibus, apprehensionibus, & angoribus agitur? ecquæ enim attentio tristior, morosior, magis tetrica, & melancholica dari potest, quam talium lusorum? Hinc est, quod inter ludendum loqui, ridere, tussire, nisi turbas, & litigia excitari velis, nefas sit.

Denique nullum omnino lusus gaudium habet, nisi lucreris, & an non gaudium hoc ini-

quum est, cum id sine socii, & collegæ damno, & displicentia haberi nequeat? infame autem, & turpe id gaudium est. Ergo tribus hisce de causis lusus hi vetiti, & illiciti sunt. Magnus, & Sanctus Francorum Rex Ludovicus, cognito Comitem Andegavensem fratrem suum, & Dom. Gualterum Ne-moursium aleis in fritillo ludere, tametsi æger, lecto surrexit, & vix præ infirmitate in pedes consistens, usque in illorum conclave proserpsit, arreptumque fritillum, & aleas, & expositæ pecuniæ partem bonam, indignabundus, & stomachabundus per fenestras in mare abjecit. Casta, & Sancta Matrona Sara suam DEO innocentiam confitens: *Tu scis, Domine,* inquit, *quia nunquam cum ludentibus miscui me.*

## CAPUT XXXIII.

*De tripudiis, & aliis oblectamentis licitis quidem, sed periculosis.*

**C**Horeæ, & tripudia natura sua, & ex se indifferentia sunt: sed hoc exercitium communiter usurpatum, valde in partem mali propendet, & proinde periculi plenum est. Quia vero noctu, ac in tenebris, ac caligine plerumque instituuntur, hinc multa opera tenebrosa, & vitiosa facile se insinuant, in rem, quæ ex se ipsa mali admodum susceptibilis est. Illorum causa vigilatur in multam noctem, unde

unde fit, ut matutinum crastini diei tempus postea depereat, & DEO quis, & pietatis exercitiis vacare non possit. Verbo, ut dicam, semper stultitia est, diem cum nocte, lucem cum tenebris, & opera sancta cum ineptiis commutare. Omnes, ad invidiam quodammodo, & certatim, secum vanitatem ad tripudia ferunt: ipsa autem vanitas tam evidens est, ad pravos effectus, & periculosos, & illaudabiles amores colligendos dispositio, ut hæc omnia facile sit e tripudiis oriri.

Hoc tibi, Philothea, de choreis dico, quod de fungis medicorum filii, nam ut hi fungos optimos nihil valere ajunt, sic ego dico, optima tripudia non admodum esse bona: si tamen fungis tibi vescendum sit, vide, ut bene præparentur, & condiantur, si aliqua ex causa, a qua te sic non facile queas excusare, tripudia te adire oporteat, vide, ut tripudia tua bene sint condita, & præparata. At quomodo, petes, illa condiam? modestia, dignitate, & bona intentione. Comede parum, & raro, ajunt Medici, loquentes de fungis, nam quantumcunque bene cocti sint, copia eorum venenum, & virulentia est. Parum, & raro tripudia, Philothea, aliter enim si feceris, periculo te expones, ut eisdem affectum applices. Fungi, teste Plinio, cum spongiosi, & porosi sint, omnem, quæ sibi proxima est, infectionem, & vitulentiam facile attrahunt,



ut, si serpentibus vicini sint, illorum venenum e vicinitate recipiant. Tripudia, choreæ, & id genus tenebrosa, & nocturna conventicula, plerumque vitia, & peccata aliquo in loco dominantia; puta, jurgia, invidias, irrisiones, & carnales vanosque amores, ad se attrahunt. Et sicuti hæc exercitia, corporis illa exercentium poros aperiunt, ita etiam animi illorum, unde si virulentus, & pestilens aliquis serpens verbum aliquod lascivum, aliquam ineptiam, & sermonem impudicum auribus tunc afflet; vel basiliscus quispiam impudicos intuitus, & amorfos oculorum nutus conjiciat, facili negotio animi occupantur, & intoxicantur.

Impertinentes hæc recreationes, Philothea, ordinarie periculum includunt, devotionis spiritum dissipant, vires spirituales enervant, charitatem frigidam reddunt, & sexcenta pravorum affectuum genera in anima excitant, quare valde circumspicte, & summa cum prudentia ipsæ adhibeantur oportet.

Ante omnia vero, suadent Medici, ut post fungorum comestionem pretiosum, & generosum vinum sumatur, sic post choreas bonis, & sanctis quibusdam utendum est considerationibus, quæ periculosas imaginationes, quas inanis inde recepta voluptas animis nostris forsan imprimere posset, dissipent, & impediant. Sed quibus?

Prima, eo ipso tempore, quo tu tripudiis intereras, plurimæ animæ propter peccata in tripudiando, & propter choreas commissa, infernalibus ignibus torquebantur.

Secunda, permulti Religiosi & homines pii, eadem ipsa hora cum DEO loquebantur; illius laudes decantabant, & pulchritudinem contemplabantur, o quam eorum tempus melius impensum fuit, quam tuum!

Tertia, toto illo tempore, quo tu saltasti, permultæ animæ maximis in angustiis ex hac vita abierunt, multa tam virorum quam fœminarum millia intensissimos in lectis suis jacentia, in valetudinariis, in plateis & compitis, cruciatus, perpeffa sunt, puta podagram, lithiasin, & febrim æstuantem. Nullam hi interea, eheu! requiem habuere: & nulla tu eorum commiseratione tangeris? an non cogitas, fore aliquando, ut tu illorum instar affligaris & angustieris tum, cum alii tripudiant, sicut tu jam tripudiasti.

Quarta, Dominus DEUS, Beata Virgo, Angeli, & Sancti te tripudiantem, & saltantem viderunt: quantum eheu! illis dolorem causasti, dum animum tuum hisce ineptiis occupatum, & tantæ inanitati intentum conspexerunt.

Quinta: Heu miseram te! quæ tempus, quo ibi commorata es, perdidisti, & tanto propius accessisti ad mortem. Cave, ne illa

tibi illudat, neque ad suam te citet choream, in qua planctus peccatorum, quæ admisti, tibi sonus fidium erit, atque unicus sufficiet gressus ad transmigrandum e vita ad mortem. Hic saltus est verus mortalium transitus, quo in ictu oculi a tempore transitur ad æternitatem, vel semper beatam, vel sine fine miseram. Exiguas hasce considerationes tibi proponere volui; sed DEUS ipse longe alias, siquidem ejus timorem habeas, in hac occasione suggeret.

## CAPUT XXXIV.

*Quomodo ludere vel tripudiare licitum sit.*

**U**T licite ludas, & choreas ducas, animi relaxandi causa solum, & non ex affectu aliquo hæc exercitia suscipienda sunt, idque ad parvum tempus, & non tamdiu, ut defatigata, & velut adobruta, & exhausta inde digrediaris, denique admodum raro, qui enim ordinarie ea suscipit, recreationem ipsam in occupationem commutabit. Sed quando, & qua in occasione ludere, vel tripudiare licebit? Tripudii, & lusus indifferentis quidem occasiones & causæ legitimæ plures sunt, at lusuum vetitorum, rariores, ad hæc, hi magis culpandi, & periculosiores sunt. Paucis, ut comprehendam, tunc demum tripudia, & lude, idque juxta condiciones, quas tibi præscri-



scripsi, cum ad honestæ, in qua ages, conversationi acquiescendum, & complacendum, prudentia, & discretio, ut facias, tibi suadebunt: condescensio namque, tanquam quidam charitatis surculus, res indifferentes reddit bonas, & periculosas, licitas; imo vero ab iis, quæ aliquo modo malæ sunt, malitiam omnem aufert. Neque hinc est, quod lusus forti obnoxii, qui alioqui culpandi forent, tunc culpam non habeant, si justa condescensio ad eos suscipiendos nos interdum invitet. Volupe sane mihi fuit, in vita S. Caroli Borromæi legere, illum aliquibus in rebus, in quibus alioqui satis severus erat, cum Helvetiis condescendisse; & S. Ignatium de Loyola, cum, ut luderet invitatus ab alio esset, haud invitum petenti condescendisse. S. vero Elisabetha Hungara subinde legitur, cum congregationibus recreationis causa institutis interesset, lusisse, jocata esse, & tripudiasse, idque sine ullo devotionis suæ detrimento, nam hæc tam profundas in corde ejus jecerat radices, ut quemadmodum scopuli lacum Reatinum cingentes, a fluctibus identidem percussi, semper crescunt, sic devotio ejus medias inter pompas, & vanitates, quibus ratione status sui eam interesse oportebat, quotidie incrementum sumeret. Magni ignes ventorum flatu accenduntur, & inflammantur, parvi vero extinguuntur, nisi tecti per ventum ferantur.

## CAPUT XXXV.

*In magnis æque & parvis occasionibus fidelem esse oportet.*

Sacer ille Cantici Canticorum Sponsus ait: Suum a sponsa sua cor, & in uno oculorum illius, & in uno crine colli ejus, vulneratum fuisse. Porro inter exteriores corporis humani partes & membra, nulla oculorum tam quoad artificium, quam quoad activitatem nobilior est, nulla quoque vice versa criminibus vilior & abjectior. Unde innuere Divinus Sponsus vult, non solum magna & eminentia hominum devotorum opera sibi placere, sed etiam minima & abjectissima, & quo illi bene, & prout oportet, serviatur, operam dandam, non modo ut permagna & præelara, sed etiam parva & vilia, bonum ei obsequium præstetur, cum tam per hæc, quam per ista, cor illius amore attrahere, & vulnerare possimus.

Dispone ergo te, Philothea, ad multas & ingentes pro DEI honore afflictiones, quin, & martyrium, & mortem tolerandam. Parata esto, illi dare, quidquid hic charissimum, & pretiosissimum habes, si id ei placeret, a te tollere, patrem scilicet, matrem, fratrem, maritum, uxorem, filios, quin, & oculos tuos, & vitam ipsam, ad hæc omnia namque

que animum tuum præpares, & resolvas, oportet. Sed, quamdiu divina providentia tam sensibiles, & notabiles, afflictiones tibi non immittit, nec oculos tuos exigit, crines tuos saltem illi da, id est, parvi momenti injurias, exigua incommoda, jacturas exiles, quales quotidie obveniunt, patienter tolera: nam per parvas has occasiones, cum amore, & dilectione toleratas, fiet, ut cor ejus omnino sis victura, & tuas in partes plane pertractura: hæc quotidiana parva charitatis exercitia, hic capitis dolor, hæc odontalgia, hic catarrhus, hæc vitri fractio, hæc irrisio, hæc chirothecarum, monilis, strophili amissio, parva hæc incommoditas, quo orationi instetur, & Sacra Communio frequentetur, surgendi, parva illa, quæ ex operibus quibusdam piis publice faciendis sequitur infamia; denique quæcunque parvæ molestiæ, & tolerandi materiæ, ex amore susceptæ, & conditæ, divinæ bonitati quam gratissimæ sunt, ut quæ etiam ob haustum unum frigidæ omnis felicitatis Oceanum fidelibus suis promisit: & quoniam hujusmodi occasiones singulis pene momentis occurrunt, optima plurimas spirituales divitias congregandi ratio est, eas benèriteque usurpare.

Quando in vita S. Catharinæ Senensis tot raptus lego, tot elevationes spiritus, tot verba sapientia condita, nec non prædicationes

quas



quasdam ab ipsa institutas, certum mihi est, illam hoc contemplationis oculo sponsi sui cœlestis cor vulnerasse, & attraxisse, simul etiam ex altera parte miræ mihi consolationi fuit, cum legi, eam in patris sui culina magna cum humilitate veru vertisse, ignem accendisse, cibos coxisse, panem pinsuisse, & vilissima quæque domus ministeria insigni cum animositate, quæ magnum DEI amorem, & dilectionem spirabat, obiisse, nec minoris facio parvam illam, quam vilia, & abjecta inter obsequia instituebat meditationem, quam extases, & raptus, quos adeo frequentes habuit, quique fortassis in humilitatis, & abjectionis hujus compensationem dati sunt. Hæc autem illius erat meditatio: cum patri cibos præparabat, fingebat, & imaginabatur, se eos Domino, ad instar Sanctæ Marthæ, præparare, matrem suam, Beatæ Virginis locum obtinere, & fratres vicem Apostolorum: itaque sese excitabat ad in spiritu omni curiæ cœlesti famulandum, & vilibus hisce obsequiis, & ministeriis magna cum suavitate animi se applicabat, quod hanc Domini voluntatem esse nosset. Ideo vero hoc exemplum hic retuli, Philothea, ut noris, quanti referat, omnes actiones nostras, quantumlibet viles, ad Divinæ illius Majestatis obsequium legitime debiteque usurpari.

Quamobrem tibi quam possum maxime consulo, ut mulierem illam fortem, tantopere a magno Salomone deprædicatam, imiteris; quæ etsi manum, ut ipse ait, ad fortia, generosa, & sublimia mitteret, nihilominus fila ducere, & fusum versare se indignum non reputabat. *Manum suam, inquit, misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum.* Ad hujus ergo imitationem manum mitte ad fortia, in oratione, meditatione, Sacramentorum frequentatione te exercendo, amorem DEI animabus proximi instillando, & bonas inspirationes, in corde aliorum inferendo, denique magna, heroica, & magni momenti opera, juxta vocationem, & statum tuum obeundo, sed noli fusi, & coli tuæ oblivisci, item, parvas illas & humiles virtutes exerce, quæ flosculorum instar ad crucis pedem excresecunt, puta pauperum obsequia, ægrorum visitationes, familiaræ curam, nec non opera ab eadem dependentia, & proficuum diligentiam, quæ te non sinet otiosam esse. Ut dum hæc obibis; id genus considerationes, quales S. Catharinam exercitiis suis intermiscuisse jam dixi, intermiscere non desinas.

Magnæ DEO serviendi occasiones rarius occurrunt, sed parvæ ordinariæ sunt. Porro, qui *super modica, & pausa fidelis est*, inquit Salvator, *super multa constituetur.* Omnia ergo in DEI nomine fac, & bene omnia facta erunt, sive

sive ergo comedas, sive bibas, sive dormias  
sive animum relaxes, sive veru vertas, dum-  
modo rem tuam bene agere noris, multum  
apud DEUM proficies, omnia scilicet ideo fa-  
ciendo, quod DEUS ea a te fieri velit.

## CAPUT XXXVI.

*Animum æquum, & rationis ductum sequentem  
habendum esse.*

**N**Onnisi per rationem homines sumus: ni-  
hilominus nimis quam rarum est, inve-  
nire, qui vere sint rationabiles, & rationis  
ductum sequantur, quod amor proprius or-  
dinarie nos a rationis via & præscripto avo-  
cet, insensibiliter ad sexcenta parvarum, sed  
noxiarum, injustitiarum, & iniquitatum ge-  
nera conducens; quæ ad instar vulpecularum,  
de quibus in Canticis sermo est, vineas de-  
moliuntur, quod enim parvæ sint, vix ad eos  
reflectitur; quod autem numero plurimæ,  
hinc multum inferunt damni. Quæ ergo tibi  
hic referam, an non injustitiæ quædam sunt,  
& irrationabiles?

Parva de causa proximum accusamus, &  
nos ipsos in magnis excusamus, care nostra  
vendere volumus, & vilissimo aliena emere:  
aliena in domo justitiam exerceri volumus,  
at in nostra misericordiam & conniventiam,  
verba nostra bonam in partem capi volumus,  
in



in alterius vero excipiendis morosi, & nimis quam delicati sumus, vellemus, proximus nobis sua cederet pretio recepto, an non autem multo æquius est, ipsum ea servare, & nos nostram servare pecuniam? illi indignamur, quod nobis commodare nolit; an non æquius ille indignetur nobis, quod nos illum incommodare velimus? Si ergo ad aliquod exercitium afficimur, reliqua exercitia contempnimus, & carpimus, ac sugillamus, quidquid nobis displicet. Si quis ex Inferioribus nobis sit, qui non usque adeo gratosus sit, aut erga quem semel odium conceperimus, quidquid demum is facit, malam in partem accipimus, identidem illum tristitia afficimus, & semper illius acta reprehendimus. Econtra, si quis nobis ob gratiam aliquam sensualem & exteriorem gratus sit, nihil omnino facit, quin excusemus. Sunt pueri aliqui, & virtute præditi, & probi, quos tamen ob imperfectionem & defectum aliquem corporalem parentes non æquis oculis aspiciunt, contra sunt vitiosi, quos ob dotem aliquam corporalem longe charissimos habent. Omnibus in rebus divites præferimus pauperibus, esto nec melioris sint conditionis, nec majore præditi virtute; quin imo eos, qui splendidius vestiti sunt, semper aliis præponimus. Jura nostra exigimus exactissime, alios vero in exigendis suis cupimus esse remissos, & humanos, nostrum ipsi or-  
di-

dinem, locum, & statum ad amissim servamus, & alios in eo humiles, & condescendentes esse cupimus, facile de proximo querimur, & neminem de nobis volumus conqueri: quod in aliorum facimus gratiam, semper nobis videtur esse multum, & magnum, quod alii in nostri præstant, nullo in numero habemus; denique similes sumus perdicibus Paphlagoniæ duplex cor habentibus; habemus namque cor benignum, lene & humanum, erga nos ipsos; & alterum durum, severum, austerum erga proximum. Duplex quoque habemus pondus, uno eorum commoda nostra quam possumus maxima ponderositate; altera proximi, quam maxima possumus levitate, ponderamus, ut nimirum hæc nimium quantum deprimamus; ista immensum extollamus. Porro, ut Sacra Scriptura loquitur: *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt*, id est, duplex habent cor: & habere pondus, & pondus, id est, unum grave, ad emendum, & accipiendum, & alterum leve, & debile, ad tradendum, & vendendum, *abominatio est coram Domino.*

In actionibus igitur tuis esto æqua, & iusta, Philothea: colloca te semper in proximi loco, & illum in tuo, itaque bene de illo senties: venditricem te fac dum emis, & emptricem dum vendis; ita fiet, ut iuste, & vendas, & emas. Omnes hæc injustitiæ par-

væ quidem sunt, quod ad nullam nos restitutionem obligent, quod solum exigimus id, quod nobis ex æquitate debitum est, & commodum nostrum, nec illius terminos excedimus; at non propterea nos obligare desinunt, ut eas in nobis corrigamus; sunt quippe notabiles rationis, & charitatis defectus; adhæc meræ imposturæ; etenim generose, nobiliter, & humane agendo, nihil omnino quis de suo jure, & auctoritate deperdit, uti nec animo legis amante, & rationis ductum sequente.

Sæpe ergo cor tuum examina, Philothea, num tale id sit erga proximum, quale illius in te esse velles, si illius esses loco, in hoc enim vera rationabilitas consistit: Trajanus Imperator a suis reprehensus, quod Imperialem Majestatem familiaritate nimia & facili accessu vilem redderet, respondit. An non talis esse debeo erga subditos, Imperator, qualem ipse, si subditus essem, habere Imperatorem vellem?

## CAPUT XXXVII.

### *De desiderijs.*

**N**emo ignorat, non esse ea, quæ vitiosa & noxia sunt, desideranda: etenim malum desiderium reddit nos malos. Insuper tibi suadeo, Philothea, ne unquam ea, quæ ani-



mæ periculosa sunt, desideres, uti sunt tripudia, lusus, & aliæ id genus recreationes, honores, dignitates, munia, visiones, & extases: hisce enim in rebus multum periculi, vanitatis, & fraudis latet. Ne desideres etiam, quæ procul absunt, & distant, id est, ea, quæ non nisi post multum temporis spatium evenitura sunt: sic multi talia desiderando, suum nulla cum utilitate cor defatigant, torquent, & dissipant, itaque se in magnæ inquietudinis periculum conjiciunt, si juvenis aliquis impense, antequam legitimum & statum tempus advenerit, aliquod obtinere munus desideret, ad quid obsecro, ei hoc desiderium conducit? Si mulier conjugata Religiosum velit statum profiteri, an non frustranee id desiderat? Si vicini mei possessionem emere desiderem, antequam ipse eam velit vendere, an non tempus meum inutiliter in hoc desiderio consumo? An non quoque vana desideria sunt, si, dum æger sum, concionari, Sacrum celebrare, alios ægrotos invisere, & alia bene valentium exercitia obire desiderem, quod illo in tempore in potestate mea minime sit, illa executioni mandare? Et interea inutilia illa desideria, aliorum meliorum, quæ habere deberem, locum occupant; quibus nimirum desiderem valde patiens, resignatus, mortificatus, obediens, & in ærumnis & adversitatibus meis admodum placidus esse. At-

que

que hoc est, quod me DEUS, tunc temporis, facere vult. Sed nos vice versa desideria concipimus mulierum prægnantium, in autumno cerasa recentia, in vere uvas cupientium.

Unde nullatenus consulere, aut probare possum, ut, quisquis officio alicui aut statui se jam de facto applicavit, aliud vitæ genus consecrari impense desideret, quam quod conditioni & genio suo conveniat, aut exercitia, quæ cum statu & munere, quo jam fungitur, incompatibilia sunt, hoc namque cor dissipat, ipsumque in necessariis exercitiis elanguidum & evigoratum reddit. Si enim, v. g. Carthusianorum desiderem solitudinem, tempus meum inutiliter perdo, & hoc desiderium locum occupat ejus, quod habere debeo, officii mei, quo jam fungor, debite legitimeque exequendi: imo ne quidem vellem, ut quis melius habere ingenium, aut exactius iudicium & crism desideret, hæc namque desideria inania sunt, locumque occupant ejus, quod habere quisque debet, colendi suum ingenium qualecunque demum id est. Nollem quoque quis ea DEO serviendi media desideraret, quæ non habet, sed ea, quæ habet, fideliter exqueretur. Loquor hic autem de desideriiis, quæ assidue cor lancinant, & divexant: nam quantum ad simplices velleitates, & transitorias optationes, nullum eæ damnum creant, dummodo non sint frequentes.

Ne desideres etiam cruces, nisi in quantum eas, quas habuisti hactenus, patienter tulisti: etenim abusus quidam est, desiderare martirium, & ad injuriam aliquam sustinendam fat animi non habere. Sæpenumero inimicus absentia, & quæ nunquam occurrent objecta, & occasiones, ardentè impenseque desiderare nos facit, ut ab objectis præsentibus, e quibus, quantumlibet parvis, magna nobis provenire posset utilitas, animum nostrum divertat. In imaginatione cum Africæ montibus decertamus, & de facto nos a parvis serpentibus, in via nostra occurrentibus, præ defectu attentionis, necari permittimus.

Ne desideres etiam tentationes, nam esset temeritas: sed, ad eas expectandas, usque dum veniant, & expugnandas, cum ingruent, animum præpara.

Ciborum varietas, præsertim si magna in copia sumantur, stomachum semper gravat; & si is debilis sit, opprimit. Multis ergo desideriiis animam tuam adimplere noli: non mundanis, hæc namque te penitus corrumpent; non spiritualibus; hæc quippe te impedient, & anxiam redderent. Cum anima nostra purgata est, tunc a pravis humoribus jam libera, ingenti res Divinas ac spirituales appetitu desiderat, & velut famelica, sexcenta exercitiorum pietatis, mortificationis, penitentia, humilitatis, charitatis, orationis genera



nera subire cupit. Bonum certe signum est, Philothea, tam bonum appetitum habere: at vide, num omnia, quæ comedere cupis, digerere poteris. Itaque Patris tuis spiritualis consilio & suasu, tot inter desideria ea selige, quæ practicari, & executioni mandari possunt: illa continuare perge, & constans in illis esto. Hoc facto, immitet tibi dein DEUS alia, quæ etiam suo tempore exequeris: itaque inutilibus desideriis fruendis tempus non perdes. Non dico, aliquod bonum desiderium esse contemnendum, aut negligendum, sed ea ordinatim producenda; & quæ in præsentiarum commode executioni mandari nequeunt, in aliquo cordis angulo recludenda, usque dum executionis eorum tempus advenit, & interim executioni mandanda ea, quæ matura jam & opportuna sunt, quod non modo in spiritualibus, verum etiam in mundanis locum habet, alioqui perpetua in inquietudine & anxietate nobis vivendum esset.

## CAPUT XXXVIII.

*Consilia pro hominibus conjugatis.*

**M**atrimonium Sacramentum magnum est, ego dico in Christo, & in Ecclesia: honorabile est omnibus, in omnibus, & per omnia, id est, in omnibus sui partibus. Omnibus: nam & ipsæ virgines id cum humilitate

honorare debent. In omnibus: æque enim sanctum est in pauperibus, atque divitibus. Per omnia: ejus namque origo, finis, utilitates, forma, & materia sancta sunt. Est hoc, Christianismi seminarium, quod terram replet fidelibus, ut in Cœlo numerum compleat electorum, adeo ut bonum matrimonii conservari, summopere rerum publicarum intersit: ipsum namque omnium rivulorum ejus fons, & origo est.

DEUS det, ut ad omnes omnino nuptias Filius ejus unigenitus invitetur, uti ad nuptias in Cana Galilææ vocatus fuit: nunquam enim in illis consolationum, & benedictionum vinum deesset. Nam quod, ut plurimum, non nisi in principio earum modicum vinum habeatur, ideo est, quod Domini nostri JESU Christi loco invitetur Adonis, & Beatæ Virginis loco Venus. Quisquis pulchros, & maculosos habere vult agnos, sicuti Jacob, ovium, cum ad coeundum conveniunt, aspectui diversi coloris virgas offerat, necesse est: sic, qui felicem matrimonio successum, & eventum habere desiderat, Sacramenti hujus sanctitatem, & dignitatem suis in nuptiis præ oculis habere deberet: sed adeo non hodie ea præ oculis habetur, ut in iis mille dissolutiones, in recreationibus, conviviiis, & sermonibus, committantur, ut mirum minime sit, si affectus ejus deinde inordinati, & dissoluti sint.

Ante omnia autem conjugatos adhortor, ut mutuum amorem, quem Spiritus Sanctus in Sacra Scriptura usque adeo ipsis inculcat, & commendat, colant: nihil est, o conjuges! si quis vobis dicat: naturali amore invicem diligete; nam, & turtures conjugati id faciunt: uti nec si quis diceret, humano quodam amore vos mutuo amate, cum & Ethnici hunc amorem habuerint: sed, præeunte mihi magno Apostolo vobis dico: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam; & vice versa: Uxores diligite maritos vestros, sicut Ecclesia suum Salvatorem.* DEUS fuit, qui Evam ad primum generis nostri parentem Adamum adduxit, eamque illi in conjugem dedit. DEUS quoque est, charissimi, qui sacrum matrimonii vestri vinculum ac nodum invisibili manu sua convinxit, & unum donavit alteri, cur ergo amore quodam sanctissimo, sacerrimo, ac divinissimo invicem non complectimini?

Primus amoris hujus effectus est indissolubilis animorum vestrorum nexus, si duo abietis frustra glutine conglutinentur, dummodo ipsum purum sit, unio amborum adeo erit tenax, ut aliis in locis prius ea diffundas, quam eo in loco, in quo glutine combinata sunt, divellas. DEUS porro virum foeminae proprio suo sanguine conjungit, quare unio hæc illorum adeo indissolubilis est, ut prius anima



a corpore alterutrius divellenda sit, ac separanda, quam vir a conjuge. Hæc autem unio non tam de corpore, quam de animo, affectu, & amore intelligenda est.

Alter amoris hujus effectus est inviolabilis utrinque fides: sigilla priscorum annulis, qui in digitis gestabantur (uti etiam e Sacra Scriptura eruere possumus) insculpta erant. Hanc autem ceremoniam vulgo in nuptiis adhiberi solitam, satis ostendit. Ecclesia namque per Sacerdotem anulum benedicit, eumque viro primum tradens, cor illius hoc Sacramento se velut obsignare, & sigillare declarat, ut nullius alterius foeminae nomen aut amor ipsum exinde ingredi possit, quamdiu nimirum vivet illa, quæ illi jam datur. Exinde sponsus anulum sponsæ digito inserit, ut illa quoque discat, & intelligat, a nullius unquam viri amore, & affectu animum suum occupari debere, quamdiu is superstes erit, quem Dominus hic illi maritum tradit.

Tertius matrimonii fructus, est legitima prolis procreatio, & educatio. Magnus haud dubie, conjuges, vobis est honor, quod DEUS animas, quæ illi in omnem æternitatem benedicere, & laudare queant, multiplicare volens, tam digni operis vos faciat cooperatores, dum nimirum corpora producitis, in quæ ille dein animas, easdem creando, velut guttas quasdam cœlestes infundit, uti eas rever-

ra creat, dum illas corporibus primum infundit.

Itaque, o conjuges! tenero, constante, & cordiali quodam amore uxores vestras complectimini, hinc, prima foemina e primi viri costa, quæ cordi proxima est, educta est, ut is cordialiter, & tenere ipsam diligeret. Uxorum ergo vestrarum defectus, & infirmitates, tam corporales, quam spirituales, nullam in vobis aversionem, aut despectum causare debent; at potius ad benignam, & amorosam quandam compassionem vos provocare, quod DEUS eas fecerit tales, ut cum a vobis dependere debeant, majorem idcirco erga vos honorem, & venerationem concipiant, itaque vos eas habeatis in socias, ut tamen illarum capita sitis, & superiores. Vos quoque foeminae, viros, quos DEUS vobis consignavit, tenere, & cordialiter, amore tamen quodam reverentiali, quique veneratione plenus sit, diligite, hinc profecto eos DEUS creavit sexus animosioris, & prædominantioris, ac mulierem viri quandam esse dependentiam, os de ossibus, & carnem de carne ejus, nec non e quadam illius costa produci, ac de sub brachiis ejus educi voluit, ut ostenderet, illam sub mariti manu, directione, & imperio esse debere. Hanc porro subjectionem Sacra Scriptura passim, quam impensissime vobis commendat, nihilominus suavem, & tolerabilem

bilem eam vobis faciens, dum non solum cupit, ut ex amore quodam iis obediatis, & voluntati ipsorum vos accommodetis, sed maritis vestris etiam injungit, ut magna cum dilectione, teneritudine, & benignitate eam exercent. *Viri*, ait S. Petrus, *cohabitate secundum scientiam discretionis uxoribus vestris, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem.*

Sed dum vos ad reciprocum, quem alter alteri deberis, amorem adaugendum exhortor, cavete, ne is in zelotypiam aliquam transeat, sæpe namque fit, ut quemadmodum vermis delicatiori, & maturiori pomo innascitur, ita, & ardentiori, & vehementiori conjugatorum amori innascatur zelotypia, cujus tamen substantiam destruit, & corrumpit; etenim lites, jurgia, dissensiones, & divortia paulatim progenerat. Certe ibi zelotypia locum non habet, ubi amicitia super veram virtutem reciproce, & ab utraque parte fundata est: unde ea certissimum amoris aliquo modo sensualis, crassi, & circa objectum, in quo virtutem debilem, inconstantem, & diffidentiam obnoxiam habitare invenit, versantis signum est. Etenim amicitiam, amorem per zelotypiam ostendere, & magnificare velle, stolidam amicitiam ostentatio est; nam zelotypia magnitudinis, & quantitatis quidem amicitiam signum, & nota est, sed non bonitatis, puri-



puritatis, & perfectionis ejusdem : cum amicitiae perfectio quandam de rei amatae virtute certitudinem, zelotypia vero incertitudinem praesupponat.

Vultisne, viri, uxores vobis fideles esse? fidelitatis iis exemplo praelucete. *Quanam ait Gregorius Nazianzenus, fronte pudicitiam ab uxoribus vestris exigitis, si ipsimet impudicitiae labe inquinati sitis? quomodo ab illis requiritis, quod ipsis non datis? eas castas vultis, castos vos erga illas exhibete; & ut S. Paulus ait: Ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione. At si vos contra dissolutionis exemplo eis praeatis, mirum non est, si ex illarum lascivia infamiam referatis, vos vero mulieres, quarum honor est cum pudicitia, & honestate inseparabiliter conjunctus, honorem vestrum impense custodite, nolite permittere, ut famae vestrae nitori dissolutio quasdam nebulas offundat.* Omnes, & quilibet etiam minimus, insultus tibi suspecti sint, neque ullam tibi procationem amorosamque compellationem a quoquam fieri finito, quisquis pulchritudinem, & dotes corporis tui laudaverit, suspectus tibi esse debet, nam qui mercedem aliquam dilaudat, quam emere sibi nequit, ut plurimum ad eam diripiendam maxime tentatur. At si quis dum te laudat, praeterea de marito tuo sinistre loquitur, eumque deprimat, summopere te offendit: certum quippe est, eum non solum te velle perdere,

sed jam ut media ex parte perditam reputare: cum media conventionis, & stipulationis pars cum secundo negotiatore jam tum inita sit, dum prioris nausea concipitur. Mulieres nobiles tam priscae, quam modernae, auribus suis margaritas aliquot appendere solent, quod ex mutuae illarum collisionis sensu aliquam, ut scribit Plinius, voluptatem caperent. Ego, vero novi, magnum DEI amicum Isaac in aures aureas, ut primas amoris sui arrhas, & pignora, castae Rebeccae misisse: unde mihi verisimile fit, ornamentum hoc mysticum esse, & declarare, primum, quod ab uxore sua habere maritus debet, & uxor ei fideliter indemne conservare, esse autem, ut nullus sermo vel garritus streperus eam ingrediatur, sed solum dulcis, & amabilis castorum, & pudicorum verborum, quae orientales Evangelii margaritae sunt, sonitus, & collisio. Semper quippe meminerimus oportet, animas per aures, uti corpora per os, intoxicari.

Amor & fidelitas, cum simul incedunt, semper familiaritatem, & confidentiam progignunt: unde sanctos & sanctas conjuges, reciproci benevolentis & blandimentis suis in conjugis usus legimus, benevolentis amoris quidem, sed castis; teneris, sed sinceris. Sic Isaac, & Rebecca, castissimum praeceptorum conjugum par, visi sunt per fenestram ita invicem joculari, & colludere, ut esto nihil

hil inhonesti subesset, inde tamen Abimelech facile perspexerit, non posse hunc lusum nisi conjugum esse. Magnus Rex Ludovicus, tam erga carnem suam rigidus, quam in amore erga conjugem tener, pene reprehensionem quorundam incurrit; quod hisce in blanditiis conjugalibus nimius videretur; esto revera laudari potius mereatur: quod animum suum martialem & generosum, ad minuta hæc obsequia & officia, ad conjugalis amoris conservationem necessaria, sciret demittere: esto enim parva hæc puræ & sinceræ amicitiae signa animos invicem non colligent, & vinciant, illos tamen propius accedere faciunt, & suavissime ad mutuam conversationem colendam eosdem disponunt.

S. Monica cum filium suum Augustinum utero gestaret, sæpius renovatis oblationibus, eum Religioni Christianæ, & gloriæ Divinæ obsequio dedicabat; uti id ipsemet testatur, dicens: quod jam tum in utero matris agens, salem DEI degustavit. Discant hinc mulieres Christianæ, ventris sui fructus, etiam antequam in lucem edantur, Divinæ Majestati offerre: DEUS enim, qui cordis humilis & voluntarii oblationes gratanter admittit, bonos matrum eo in tempore affectus ut plurimum exaudit, nec rejicit. Testes rei hujus habeo Samuelem Prophetam, Sanctum Thomam Aquinatem, Sanctum Andream Pesulensem,



sem, & plures alios. Sancti Bernardi mater, tali filio digna mater, filios suos recens natos in manus accipiens, Christo Domino offerebat, indeque eos aliquo cum respectu, veluti quid Sacro-Sanctum, sibi que a DEO concrediditum, diligebat: quod adeo ei bene successit, ut septem quas habuit proles, ad unam omnes Sanctæ fuerint. Postquam vero filii jam in lucem editi sunt, & uti ratione incipiunt, parentes curare quam maxime debent, ut DEI timorem animis ipsorum instillent. Egregie & ardentem munus hoc Sancta illa Regina Blanca, erga filium suum Ludovicum, Sanctum Francorum Regem exercuit, sæpe namque ei dixit: *Malim te, fili charissime, ante oculos meos animam agentem, & expirantem videre, quam vel unum mortale peccatum committentem*, quod matris votum ita sancti hujus filii animo insculptum mansit, ut sicut ipse postea retulit, omnibus vitæ suæ diebus ipsum in mente habuerit, & nulla non die sibi repræsentarit, quam maximam poterat, operam dans; ut Divinum hoc documentum executioni mandaret. Stirpes & generationes vulgo domus vocantur, quin & Hebræi ipsam filiorum procreationem, domorum vocant ædificationem. Hoc quippe in sensu dictum est, obstetricibus Ægypti Dominum domos ædificasse: ut hinc pateat, bonam domum non tam fieri, dum multæ opes temporales,

&

& mundanæ in eam per fas & nefas inferuntur, quam, dum proles in DEI timore & virtutibus instituuntur.

Qua in re nulli parcendum est molestiæ, nullis laboribus, cum liberi parentum sint corona & honestamentum. Sic tanto fervore & constantia S. Monica pravos S. Augustini filii sui inclinationes & passiones oppugnavit, ut cum illum terra marique consecrata esset, multum illum feliciter lacrymarum suarum filium, per animæ illius conversionem, effecerit, quam is per corporis generationem, sanguinis sui filius exstitisset.

Mulieribus Apostolus curam rei domesticæ & domus velut in sortem distribuit: unde multi, & non sine veritate, putant, illarum virtutem familiæ utiliore & fructuosiore esse, quam maritorum; qui cum tam ordinarie domi & inter domesticos non agant, hinc non tam facile eos ad virtutem queunt informare. Huc ergo respicere Salomonem suis in Proverbiis puto, dum universæ familiæ bonum & incolumitatem, a mulieris illius fortis, quam depingit, cura & industria dependere ostendit.

Isaac, videns uxorem suam Rebeccam sterilem esse, Dominum pro illa oravit, ut in Genesi legimus; aut, juxta genuinam Hebraicorum verborum significationem ex opposito illius Dominum deprecatus est, quod hæc ex  
una,

una, ille ex alia oratorii parte orarent, unde etiam oratio mariti hoc modo instituta, a Domino fuit exaudita. Illa ergo maxima & utilissima mariti & uxoris unio & communicatio est, quæ circa sanctam devotionem versatur, cui ad invidiam & certatim pro se quisque incumbere debet. Quidam sunt fructus ut mala cotonea, qui ob succi cruditatem & asperitatem palato desipiunt, nisi saccaro condiantur: alii contra ob teneritudinem & molliem conservari nequeunt, nisi eodem modo saccaro quoque condiantur, uti cerasa & mala Armenia. Sic uxores velle debent, ut conjuges sui devotionis saccaro condiantur: etenim vir devotione carens, animal austerrum, asperum, & immite est; sic & mariti ex opposito optare, ut uxores suæ devotæ sint; mulier enim sine devotione maxime fragilis, & evidenti a virtutis exercitio plane excidendi, aut saltem in eo elanguendi, periculo obnoxia est: Apostolus ait, virum infidelem, per mulierem fidelem, & vice versa uxorem infidelem, per fidelem virum sanctificari. Nam in arcto hoc matrimonii vinculo, alter alterum facile ad virtutem colendam potest allicere. Ecquæ vero benedictio est, quando vir, & foemina fideles invicem in vero Domini timore sanctificant?

Cæterum ita sese invicem tolerare, & imperfectiones mutuas sustinere debent, ut nunquam



quam ambo simul pariter irasci debeant, ut nulla inter eos dissensio, & jurgium appareat. Apes non mellificant in loco, in quo vocum, & clamoris fit repercussio, & reduplicatio, sic nec S. Spiritus habitare vult in domo, in qua jurgia, concertationes, & clamorum altercationumque reduplicaciones audire est.

S. Gregorius Nazianzenus auctor est, conjugatos suo tempore, anniversario nuptiarum suarum die recurrente, eum festum egisse, vellem certe, idem mos, & nostra ætate introduceretur, dummodo nullo cum mundanorum, & sensualium recreationum apparatu; sed, ut conjuges confessione peccatorum eodie instituta, & Sacris Eucharistiæ epulis relecti, ferventius, & impensius solito, matrimonii sui successum DEO commendarent, bona ejus per reciprocum amorem, & fidelitatem in dies magis, sanctificandi, proposita renovando, & in Domino, spiritu novo velut accepto, respirando, ad vocationis, & status sui onera supportanda.

## CAPUT XXXIX.

*De thori conjugalibus honestate, & puritate.*

**T**horus conjugalibus, ut Apostolus ait, immaculatus sit oportet, id est, ab omni impudicitia, & aliis profanis sordibus liber. Unde etiam Sanctum Matrimonium primo in

terrestri paradiso, ubi usque ad id tempus nulla unquam concupiscentiæ fuerat dissolutio, nec quid inhonestum, fuit institutum.

Est inter voluptates foedas & infames, atque eas, quæ e cibo percipiuntur, quædam similitudo, ambo namque respiciunt, & spectant carnem, esto primæ ob brutalem suam vehementiam, simpliciter carnales vocitentur. Quod ergo de illis dicere nefas est, intelligitur per id, quod dicam de his.

Primo: Comestio ad corporum & hominum conservationem est instituta. Porro, sicuti ad corpus nutriendum & conservandum duntaxat comedere, res bona, sancta, & præcepta est: sic, quod in matrimonio ad sobolis procreationem, & hominum multiplicationem requiritur, laudabile cumprimis, & sanctum est, hic enim primarius nuptiarum finis est.

Secundo: Summe justum, & honestum est, comedere non solum ad vitam conservandam, sed & ad mutuæ conversationis, amicitiae, & condescendentiae, quam alter alteri debemus, conservationem: ita reciproca & legitima partium in sancto matrimonio satisfactio a S. Paulo debitum vocatur, sed debitum ita prægnans, & magnum, ut neutri parti licitum velit esse, ab eo se excusare, aut id recusare, sine libero & voluntario consensu alterius; imo ne quidem propter ipsa devotionis exercitia

tia (quo spectat id, quod supra in Capite de Sancta Communione hujus occasione dixi) liceat, quanto ergo minus fas est, id recusare, ob cervicofas quasdam & imaginarias virtutum prætensiones, aut ob indignationem aliquam, aut aversionem?

Tertio: Sicut, qui ob mutuæ conversationis, & societatis conservandæ debitum comedunt, libere, & non velut coacti comedere debent, imo vero appetitum suum erga cibum testari etiam conari: ita quoque debitum conjugale fideliter, libereque semper reddendum est, & perinde, ac si certa sobolis procreandæ spes esset, esto certa quadam de causa talis spes non affulgeat.

Quarto: Comedere non quidem ob duas illas, quas dixi, rationes, sed duntaxat ad appetitui satisfaciendum, tolerabile quidem est, & permissum, non tamen laudabile, etenim sola appetitus sensualis delectatio sufficiens objectum non est ad opus aliquod faciendum laudabile, sufficit, si sit tolerabile.

Quinto: Comedere non e solo appetitu, sed per excessum, inordinate, & immoderate, in se eo magis, aut minus, vituperabile est, quo excessus major, aut minor est.

Sexto: Excessus, qui in comedendo committitur, non solum in nimia ciborum consistit copia, & quantitate, verum etiam in comedendi modo, & methodo. Mirum certe



te est, charissima Philothea, mel, quod apibus adeo proprium, & salutare est, iis tamen tam noxium esse posse, ut eas subinde etiam morbidas reddat, quando nimirum in vere plus æquo ex eo comedunt. Siquidem hinc alvi fluxum contrahunt, & aliquando etiam sine ulla evadendi spe moriuntur: quando, v. g. antrorsum capiti, & alis mel adhærescit. Certe conjugale commercium, quod in se iras sanctum, justum, laudabile, & reipublicæ adeo salutare est, aliquo tamen in casu perniciosum est ipsum exercentibus: interdum enim animas ipsorum valde ægras per peccatum aliquod veniale reddit, quod per excessum aliquem contingit; aliquando vero per mortale plane eas emori facit, quod fit, cum, qui ad sobolis productionem constitutus est ordo, violatur, & pervertitur, quo in casu, prout magis, aut minus, ab hoc ordine receditur, peccata magis, aut minus execrabilia sunt; at semper mortalia. Nam quoniam liberorum procreatio primus, & proprius matrimonii finis est; hinc nunquam licite quis ab eo, quem illa requirit, ordine recedere potest, esto ob alium quempiam casum, & accidens, tunc quidem illa effectum habere nequeat; uti fit, dum aut sterilitas, aut quæ jam facta est prægnatio, productionem, aut generationem impediunt. His enim in casibus ipsa corporum commixtio nihilominus potest esse iusta, &

& sancta; dummodo debitas generationis regulas sequatur; cum nullum accidens, aut casus legi, quam principalis matrimonii finis imposuit, præjudicare possit. Sane infame, & execrandum factum Onan in suo matrimonio (uti Geneseos cap. 38. narratur) in oculis Domini abominabile fuit. Et licet quidam ætatis nostræ hæretici, Cynicis (de quibus S. Hieronymus in commentario in Epistolam D. Pauli ad Ephesios loquitur) longe impudentiores, & magis culpandi, docere tentarint, Onan solum ob perversam, quam in eo in actu habebat, intentionem Domino displicuisse, longe tamen aliter Sacra Scriptura loquitur, differteque asserit, ipsum, quod faciebat, opus coram DEO abominabile, & detestabile fuisse.

Septimo: Parasitici, vilis, abjecti, & infamis animi indicium est, ante prandii tempus de cibo, & escis cogitare, majus etiam, sumpto jam cibo, delectatione illa, quæ ex ejus comestione percepta est, minutim se oblectare, videlicet de ea aut loquendo, aut cogitando, & spiritum suum in memoria, & recordatione voluptatis ejus, quæ e buccellarum singularum in stomachum traiectione habita est, volutando, quemadmodum faciunt, qui ante prandium animum defigunt in veru, & a prandio jugiter lancibus affigunt: digni certe, qui in famulos culinarios assumantur, & quorum, ut ait Apostolus, *DEUS venter est.*

Viri vero cordati, & honesti, non ante de mensa cogitant, quam dum ei assident, & post cibum sumptum manus simul, & os abluunt, ut eorum, quæ comederunt, nullum exinde amplius gustum, saporem, aut odorem habeant. Elephantus vastum quidem animal est, sed inter omnia vivere in terra dignissimum, & prudentissimum. Honestatis illius quoddam hic tibi argumentum, & signum commemorare volo, fæminam suam nunquam mutat, aut aliam assumit, & quam delegit, tenerrime diligit, cum qua tamen nonnisi singulis trienniis copulatur, idque nonnisi quinque diebus, & tunc tam occulte, nunquam ut ab ullo eo in actu sit deprehensus. Sed sexto die sæpe visus est, quo ante omnia profluentem aliquam adit, in eaque toto corpore abluto, non ante ad socios elephantos redire vult, quam sit aqua purificatus, & velut lustratus. An non hæ egregiæ, & honestæ hujus belluæ conditiones sunt? quibus conjugatos docet, affectus suos sensualitatibus, & voluptatibus, quas pro ratione status sui exercuerint, non affigere; sed post eas animum, cor, & affectum ab iis abluere, seque quam citissime expurgare, ut deinde cum omni spiritus libertate alia puriora, & sublimiora opera exercent. Hoc porro in consilio perfecta excellentis illius doctrinæ, quam S. Paulus Corinthiis tradit, praxis



xis consistit: *Tempus, inquit, breve est, reliquum est, ut, qui habent uxores, tanquam non habentes sint.* Nam is, secundum S. Gregorii mentem, uxorem habet tanquam non habens, qui ita consolationes corporales, & voluptates ex illa percipit, ut propterea nullum in spiritualibus suis exercitiis impedimentum sentiat. Quod autem de viro dicitur, de uxore pariter venit intelligendum. *Et qui utuntur hoc mundo, ait idem Apostolus, sint tanquam non utantur.* Omnes ergo mundo, pro vocatione sua quisque utantur, sed ita, ut affectum suum ei non affigant, sed tam liberi, & expediti ad DEO serviendum sint, tanquam si eo penitus non uterentur. Errat, inquit S. Augustinus, homo gravissime, dum rebus iis frui vult, quibus solummodo debet uti, & iis vice versa uti, quibus debet frui. Rebus spiritualibus debemus frui, corporalibus vero tantum uti, quarumcum usum in meram fruitionem convertimus, anima nostra rationalis in brutalem quoque, & bestialem convertitur. Credo autem omnia, quæ dicere decreveram, me dixisse, & ea, quæ dicere nolebam, non dicendo satis exposuisse.

## CAPUT XL.

*Monita pro Viduis.*

**A**postolus Paulus in Timothei sui persona omnes Episcopos docet, quomodo cum

viduis agere debeant, dicens: *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt.* Ut autem vere vidua quæpiam sit, hæ conditiones necessariæ sunt.

Prima: Ut vidua non solum sit corpore, sed & animo, scilicet ut inviolabile propositum conceperit, in castæ viduitatis statione ad finem usque vitæ perseverandi. Viduæ enim, quæ in viduitate sua aliquam renubendi occasionem expectant, non aliter a viris sunt, quam quod carnali commercio de facto careant, separatæ; at, quantum ad voluntatem & animum, jam tum cum iis conjunctæ sunt; si vero vere vidua, ut se in viduitatis suæ statu confirmet, voto concepto suum Deo corpus & castitatem offerre velit, insigne viduitati suæ addet decus & ornamentum, summique propositum & resolutionem quam maxime assecurabit, videns namque, emisso jam voto, illicitum sibi esse castitatem violare, nisi cælo velit excidete, ita sui propositi exequendi studiosa erit, & avida, ut ne ipsius quidem matrimonii ineundi cogitationes, ad momentum, suo in corde sedem figere permiffura sit; adeo, ut sacrum hoc votum validum quoddam inter animam ipsius, & omnes proposito ipsius adversantes machinationes & molimina objectum sit propugnaculum. Sane votum hoc viduæ Christianæ, cum primis consulit S. Augustinus, atque adeo vetus ille Doctor Origenes etiam longius progreditur:

etc.

etenim mulieribus conjugatis consulit, ut si forte mariti ante ipsos demoriantur, ad vidualem castitatem voto se obligent, & destinent, quo medias inter sensuales delectationes, quibus in matrimonio suo gaudebunt, nihilominus castæ viduitatis meritum, per anticipatam hanc promissionem & votum, percipere valeant. Votum, actiones quolibet intuitu & causa illius factas, DEO longe reddit acceptiores, animum ad eas exequendas corroborat, & non solum opera, quæ bonæ nostræ voluntatis velut fructus sunt, DEO dat, sed ipsam etiam voluntatem, quæ operum nostrorum quodammodo arbor est, eidem offert, & dedicat. Per simplicem castitatem corpus nostrum DEO quodammodo commutato damus, quod libertatem ipsi nobis retineamus, ipsum aliquando cum lubuerit sensualibus delectationibus subjiciendi: at per castitatis votum, absolute & irrevocabiler ei ipsum dedicamus, nullam penitus nobis promissionis illius revocandæ potestatem & libertatem retinentes; itaque quam felicissime servos nos facimus illius, cui servire melius est, quam universi mundi regna possidere. Porro, sicuti duorum horum illustrium virorum consilia maximopere probo, ita quoque desiderarem, ut animæ, quæ tam erunt beatæ, ut ea velint sequi, prudenter, sancte, solide id faciant, postquam scilicet animi sui



potentiam & vires bene examinarint, Divinam opem per preces implorarint, & cordatum devotumque aliquem directorem confu-  
luerint, ita namque majore cum utilitate & fructu omnia peragentur.

Secunda: Requiritur præterea, ut hæc secundarum nuptiarum repudiatio fiat pure & sincere, quo omnes affectus suos majore cum puritate in DEUM transferat, & cor suum omni ex parte cum Divinæ Majestatis corde jungat, si enim ideo solum in viduitate vidua manere velit, ut liberos opulentos reddat; aut ex alio quopiam mundano intuitu, laudem forsan hinc apud homines habebit, sed non apud Dominum: cum apud eum nihil veram habere laudem possit, quam quod propter DEUM suscipitur.

Tertia: Præterea necesse est, ut vidua, quo vere vidua sit, a delectationibus profanis sit sequestrata, & voluntarie iis careat. Nam, *quæ in deliciis est, inquit Apostolus, vivens mortua est.* Velle esse viduam, & gaudere ab aliis amari, procari, & compelliari per illecebrosas ineptias: choreis, tripudiis, epulis interesse; odoramenta, ornamenta, & elegantias affectatas consecrari; est esse viduam, corpore quidem viventem, sed mortuam quoad animam. Quid interest, obsecro, an inter-  
signium domus Adonidis & amoris profani sit ex amiculis albis in modum pennarum perforatis,

ratis, an e velo crispato, retis ad instar, circum vultum extenso compositum? cum sæpe niger color, majori cum vanitate albo superaddatur, quo hic magis appareat. Vidua ergo, quod experta alias, quo foeminæ viris modo placere possint, eo periculosiores in animos illorum illecebras, & illicia jactit. Quæ ergo in vanis, & stolidis hisce deliciis vivit vidua, *vivens mortua est*, & aliud, si proprie loqui velimus, non est, quam quoddam viduitatis idolum.

Dicitur in canticis: *Tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra.* Mundanas superfluitates rescindat oportet is, qui pie in Christo vivere desiderat, sed imprimis rescissio, & amputatio hæc necessaria est ei, quæ vere vidua est, quæ casta turturis ritu, mariti sui amissionem, & mortem adhuc deflet, gemit, & plorat. Cum Noëmi e Moab in Bethlehem rediret, foeminæ civitatis, quæ eam initio cum primum matrimonio juncta fuerat, cognoverant, ea visa dicebant ad invicem: *Hæcine est illa Noëmi?* quibus illa respondit: *ne vocetis me Noëmi, id est pulchram,* (hoc enim vox Noëmi significat) *sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens;* quod dicebat ideo, quod conjux, & compar ipsius jam demortuus esset. Sic quoque vidua devota, nunquam aut pulchra, aut gratiosa vocari habet

rive vult, sed esse contenta, quod DEUS ipsam esse vult, id est, humilis, & abjecta in oculis suis.

Lampades quarum oleum aromaticum est, dum exstinguitur earum flamma, longe gratiorem naribus halitum emittunt: sic viduæ, quarum amor in conjugio purus fuit, suavioris virtutis castimoniæ fragrantiam tum exhalant, cum ipsarum lumen, id est, conjux, per mortem exstinctum est. Maritum, dum in vivis est, amare, satis commune est inter fœminas, sed eum ita amare, ut illo demortuo, nullum alium quærant, aut sectentur, amor est, qui non nisi veras viduas concernat. In DEO sperare, quamdiu maritus familiam humero suo sustentat, non adeo rarum est, at hoc adminiculo, & fulcro sublato, tunc in DEO sperare, summis dignum est laudibus. Hinc est, quod in statu viduali evidentius, & facilius virtutum, quas quis in matrimonio suo habuit, perfectio cognoscatur.

Vidua, quæ liberos habet, qui auxilio, directione, & conductione aliqua opus habent, in iis præsertim, quæ ad animam, & illorum sustentationem spectant, nullatenus eos potest, nec debet deserere: diserte namque Apostolus ait, eas ad hanc curam, & officium teneri, ut *mutuam vicem reddant parentibus: quod, qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, infideli sit deterior*, at si liberi jam sint id æta-



ætatis, & eo in statu, ut nulla directione, & inspectione opus habeant, tunc vidua omnes suos affectus, & cogitationes in se recolligat, ut sic eos suo in amore DEI progressui purius applicet, & adjungat.

Si nulla vis & necessitas veram viduam in conscientia obliget, ad sese turbis & impedimentis exterioribus, uti sunt lites, implicandam, plane ei consulo, ut iis absteat, & quam potest quietissimam & tranquillissimam, rerum suarum dirigendarum tuendarumque viam, esto alioqui ea compendiosissima & utilissima non videatur, sequatur. Etenim fructus strepituum ac turbarum bene magni sint oportet, ut sanctæ tranquillitatis bono æquiparentur, ut taceam, lites, & id genus contentiones, & perturbationes, animum distrahere, ac non raro hostibus, & adversariis castitatis ostium referare, uti dum iis, quorum ope & favore opus habet, complacere quis satagit, ea agit, quæ cum devotione usquequaque non quadrant, & DEO displicent.

Continuum porro viduæ exercitium sit oratio: nam cum nullum posthac habere amorem debeat, quam propter DEUM: sic vix aliud loqui jam debet, quam propter, & de DEO: & sicuti ferrum, quod propter adamantis alicujus præsentiam, magnetis attractionem sequi prohibetur, statim atque adamantas amovetur, ad ipsum magnetem accedit,

& rapitur; sic cor viduæ, quod vivente marito, totum in DEUM ferri non poterat, nec Divini illius amoris impetum & raptum sequi, eo jam demortuo, quam ardentissime in odorem unguentorum cœlestium currere debet, cum Sponsa Sacra quodammodo dicens: Quoniam Domine jam tota mea sum, me ut totam tuam jam suscipe, trahe me post te, & curremus in odorem unguentorum tuorum.

Virtutes autem, quas sancta vidua proprie exercere debet, sunt perfecta modestia, honorum, graduum, conventiculorum, titulorum, ac nominum aliarumque hujusmodi vanitatum repudium, pauperibus & ægrotis impensum obsequium, afflictorum consolatio, puellarum ad vitam devotam invitatio, utque junioribus fœminis omnium virtutum exemplo præluceant. Duo vestium ejus ornamenta sunt, necessitas, & simplicitas; duo actionum & operum ejus ornamenta sunt, humilitas & charitas; duo linguæ illius insignia sunt, honestas, & verborum benignitas, oculorum decus, modestia, & pudicitia, & unicus cordis illius amor, JESUS Christus crucifixus.

Summa: vera vidua in Ecclesia est velut viola verna, quæ præ devotionis suæ fragrantia incomparabilem suavitatem diffundit, & sub amplis abjectionis suæ foliis prope semper delitescit, & colore subobscuro, & minus

nus fulgido mortificationem testatur : in locis humidis, umbrosis, & incultis solet, & gaudet inveniri, nolens a mundanorum conversatione conculcari, & opprimi, quo cordis sui virorem, & integritatem, adversus omnes calores, quos opum, honorum, vel etiam amorum desiderium, ac cupiditas afflare ei possent, melius conservet. *Beatior, inquit Apostolus, erit, si sic permanserit.*

Permulta alia de hac materia mihi dicenda essent, sed omnia mihi dixisse videbor, cum dixerò, viduam, quæ status & conditionis suæ honorem cordi habet, attente legere, debere egregias illas epistolas, quas S. Hieronymus ad Furiam, Salviam, & alias illas Romanas Matronas perscripsit; quibus ea felicitas obtigit, quod viri tam docti & sancti filiæ spirituales esse meruerint. Nihil quippe addi queat iis, quæ ipse illis perscripsit, præterquam, quod vera vidua nunquam carpere, aut culpæ debeat eas, quæ ad secundas, tertias, aut etiam quartas nuptias transeunt: quibusdam enim in casibus ita id DEUS Optimus Maximus ad majorem sui gloriam fieri permittit. Et hanc veterum doctrinam, & sententiam semper ante oculos habeat, nec viduitatem, nec virginitatem alium in cælo habere locum, quam quem humilitas ipsis assignavit.



## CAPUT XLI.

*Paucis virgines compellantur.*

**S**I temporale matrimonium spectatis, o virgines! primum amorem vestrum primo marito integrum magno cum zelo conservate. Insignem certe esse abusum existimo, loco integri, & sinceri cordis, aliud detritum, & amoribus consumptum, & exhaustum illi offerre. At si ea vestra felicitas est, ut ad castas, & spirituales nuptias evocemini, & virginitatem vestram integram illibatamque semper conservare velitis, amorem vestrum divino huic sponso quam potestis integerrimum, & mundissimum custodite; qui, cum ipsamet puritas sit, nihil usque adeo amat, quam puritatem, & cui rerum omnium, ac præsertim amoris, primitiæ jure debentur. Epistolæ S. Hieronymi, quæcunque vobis servanda, & cavenda sunt, quam abundantissime vobis suppeditabunt: cumque status, & conditio vestra vos ad obedientiam obliget, directorem, & conductorem aliquem deligite, quo dirigente, animum, & corpus vestrum sanctius divinæ illius Majestati dedicare, & offerre possitis.



# INTRODUCTIONIS

## PARS QUARTA.

*In qua necessaria contra communio-  
res tentationes documenta, & consilia  
traduntur.*

### C A P U T I.

*Filiorum hujus sæculi sermones, &  
obloquia curanda non sunt.*



Tatim ac mundani homines per-  
cipient, te vitæ devotæ velle insi-  
stere, mille in te calumniarum,  
& obloquiorum tela evibrabunt,  
qui inter eos pessimi erunt, tuam  
vitæ morumque mutationem hypocriseos, su-  
perstitionis, & simulationis insimulabunt, &  
dicent, male te a mundo exceptam fuisse,  
ideoque indignabundam te, quasi ab eo repul-  
sam, & vilipensam, ad DEUM recurrere,  
amici vero tui multas tibi admonitiones pru-  
dentes, & ex charitate depromptas, ( prout  
Z qui-

quidem ipsis apparebit ) facere fatagent: incidet ( inquit ) in humorem aliquem melancholicum , tuæ apud homines auctoritati multum decedet , aliis te exosam , & intolerabilem reddes , ante tempus consenesces , & canesces , negotia tua domestica aliquod hinc detrimentum accipient , in mundo vivendum est , sicut in eo vulgo vivitur , suam quis salutem sine tot mysteriis , & cæremoniis operari potest : & aliæ sexcentæ hujusmodi næniæ aniles.

Omnia hæc , cara mea Philothea , meræ sunt inaniæ , & offutiæ : nullam hi aut sanitatis , aut rerum tuarum curam ( ut præferunt ) habent. *Si de mundo fuissetis* , inquit Redemptor , *mundus* , quod suum est , diligeret : *sed quia de mundo non estis* , propterea odit vos *mundus*. Vidimus plures utriusque sexus nobiles sæpe integram noctem , quin , & multas continuo noctes , lusui scachorum , aut chartarum incumbere : darine tamen attentio , & occupatio aliqua magis melancholica , & morosa potest , quam hæc ? mundani tamen verbum contra thanc non loquebantur , amici se propterea non torquebant : quod vero hora una meditationi insistamus , quod paulo nos maturius solito lecto surgentes videant , quo ad sacram nos communionem præparemus , ad medicum curritur , ab humore hypochondriaco , & aurigine nos curari volunt. Trigin-



ta quis noctes tripudiando, & choreas ducendo insumpserit, & de labore non queritur: quod semel noctem natalis Domini insomnem duxerit, postridie præ raucedine, & cruditate tussit, & ventrem sibi dolere queritur. Quis non videat, mundum iniquum esse iudicem, suis faventem, & propitium; at erga filios DEI imitem, & rigidum?

Bene nobis cum mundo non conveniet, nisi una cum ipso nos perdamus. Satis illi facere, aut placere per omnia non possumus, nimis enim varius & inconstans est. *Venit Joannes, ait Dominus, neque manducans, neque bibens, & dicunt, demonium habet: venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorans, & potator vini.* Sane, Philothea, si ex condescendentia & accommodatione quadam una cum mundo rideamus, ludamus, choreas ducamus, offendetur, & scandalizabitur; si renuamus, hypocriseos nos insimulabit, vel melancholiæ; si corpus paulo elegantius ornemus, ad aliquem id finem & intentionem fieri existimabit; si de ornatu non nihil remittamus, e vilitate animi id proficisci dicet, hilaritates nostras dissolutionum censebit nomine; mortificationes, tristitiarum, & morositatis: Itaque cum tam maligno & livido nos oculo semper aspiciat, nunquam ei complacere possumus. Imperfectiones quoque nostras nunquam non exaggerat,

& eas jactat peccata esse; peccata nostra venialia ait esse mortalia, & quæ ex infirmitate committimus, e malitia facta. Cumque, recte Apostolo, *charitas benigna sit*, mundus vice versa malignus est; cum illa *non cogitet malum*, hic e contrario semper malum cogitat, & dum nihil habet, quod in actionibus nostris carpat, nostras carpit intentiones. Sive oves cornua habeant, sive non habeant; sive albæ sint, sive nigræ, non idcirco ab iis vorandis lupus abstinebit.

Quidquid demum facimus, semper nos mundus infestabit, & carpet; si diu confiteamur, petet, ecquidnam tamdiu dicendum habeamus, si statim confessionem absolverimus, dicet nos eam recte non instituisse, sed peccata nonnulla confiteri neglexisse. Omnes nostros explorabit motus, & vel ob unum verbum ex iracundia acerbius prolatum, dicet nos in conversatione intolerabiles esse: rerum nostrarum cura, & diligentia illi videbitur cupiditas, benignitas nostra stultitia: filiorum vero sæculi hujus iræ, ipsis sunt generosi animi indicia; illorum avaritiæ, gnavitates; liberæ conversationes cum diverso sexu, honesta colloquia, & familiaritates. Sic semper aranæ apum opera destruunt.

Sinamus hunc cæcum clamare, Philothea, tantum quantum volet, occlamet noctuæ ad instar, ad avium de die volitantium quietem  
in-

interturbandam; nos in nostro proposito solidi, & constantes simus, in resolutionibus nostris invariabiles: perseverantia enim ostendet, num vere, & sincere DEO nos, & vitæ devotæ applicuerimus. Cometæ, & planetæ pene æque luminosi sunt, ut quidem apparet; sed cometæ paulo post evanescent, cum nonnisi ignes quidam transitorii sint; planetæ vero perpetua claritate collucet. Eodem modo hypocrisis, & vera virtus, valde inter se quoad exteriora similes sunt: sed facile est unam ab alia dignoscere; eo quod hypocrisis non durat, & fumi instar sursum evaporantis dissipatur; at vera virtus semper firma, & constans est. Optima ratio, ad devotionis nostræ principium bene confirmandum, & tutum reddendum, est exprobrantium, calumniantium linguis proscindi: hac ratione namque extra vanitatis, & superbienti periculum sumus; hæc quippe sunt velut obstetrices Ægypti, quibus tartareus Pharaos præcepit, ut masculas Israëlitis proles, eo ipso quo nascerentur die, occiderent, & suffocarent. Nos mundo crucifixi sumus, & nobis mundus vicissim crucifigi debet: ipse nos ut stultos reputat, nos vicissim eum ut insipientem reputemus.



## CAPUT II.

*Non est ob parva quædam adversa animus  
abjiciendus.*

**L**umen, quantumvis pulchrum, oculis pergratum, & optabile, eosdem tamen aliquando perstringit, præsertim cum diu tenebroso in loco egimus. Sicuti etiam antequam cum incolis loci alicujus, quantumlibet ii humani, & affabiles sint, affueverimus, & familiaritatem contraxerimus, nescio quam alterationem in nobis ipsis sentimus. Ad eundem modum fieri, mea Philothea, potest, ut cum primis vitam tuam mutare incipies, multi in anima tua turbines, & inquietudines exoriantur, & magna illa, & generalis repudiatio, qua universis mundi inaniis, & ineptiis simul & semel valedixisti, aliquo te modo contristet animumque dejicere faciat. Quod si tibi contingat, habe, quæso, patientiam, nihil enim hoc erit, non est nisi modica quædam alteratio, & consternatio, quam ipsa tibi novitas adfert; hæc ubi pertransierit, mille consolationibus perfunderis. Principio forsitan grave tibi erit, gloriam illam repudiare, & relinquere, quam a fatuis, & vanis in tua vanitate adulatoribus percipiebas, sed quid æternamne velles perdere, quam tibi DEUS dabit in veritate? Vanæ recreationes, & oblecta-

lectamenta, quibus præteritos vitæ tuæ annos impendisti, & dedicasti, animo tuo adhuc occurrent, ad ipsum alliciendum, & suas in partes pertrahendum; sed quid? audebisne beatam illam relinquere æternitatem, ut fallacibus hisce levitatibus te oblectes? crede mihi, si modo perseveres, mox cordiales quasdam dulcedines, & gaudia senties, adeo deliciosas, & jucundas, ut dictura sis, mundum mellis hujus comparatione, & intuitu, nonnisi merum fel habere, & unam devotionis diem, millenis vitæ mundanæ annis meliorem, & optabiliorem esse.

Sed perfectionis Christianæ montem valde altum esse vides: quomodo, DEUS bone, inquis, illum potero conscendere? Sume animum, Philothea, cum apum foetus primum formari incipiunt, vocantur nymphæ, & tum adeo exiguæ sunt, ut nec ad flores, nec montes, nec colles vicinos volare possint, sed paulatim melle, quod matres ipsarum confecerunt, enutritæ, nymphulæ hæ acquirunt alas, itaque corroborantur, ut postea per loca vicina ad mella colligenda una cum matribus evolent. In devotione, fateor, adhuc ceu parvæ apiculæ sumus, & prout quidem desiderium nostrum est (quod certe non est minus, quam ad ipsum perfectionis Christianæ apicem, & culmen pertingere) ascendere, & evolare non possemus, at si per bona deside-

ria, & proposita nostra, formam quandam capere incipiamus; penna, & alæ nobis ex-  
 crescere incipiunt. Speremus itaque spiritua-  
 les nos aliquando apes fore, nosque evolatu-  
 ras, interim vero, melle spiritualium consi-  
 liorum, & documentorum, quæ prisci de-  
 voti, & Ascetæ nobis tradidere, victitemus,  
 DEUMQUE rogemus, det nobis pennas sicut  
 columbæ, ut non solum in vitæ hujus tem-  
 pore volumus, verum etiam in futura æterni-  
 tate requiescamus.

### CAPUT III.

*De tentationum natura; & quod sit inter ten-  
 tationem sentire, & ei consentire discrimen.*

**C**Ogitatione tibi finge, Philothea, juven-  
 culam aliquam Principem, sponso suo,  
 & marito Principi percaram; & simul imagi-  
 nare, scelestum aliquem, quo eam ad secum  
 adulterandum, thorumque nuptialem violan-  
 dum invitet, infamem aliquem amoris inter-  
 nuntium, qui foedam illius intentionem novæ  
 nuptæ communicet, mittere. Primo itaque  
 parasius, & nuntius hic Domini sui amorem  
 Principi aperit. Secundo, in illa petitione  
 propositioneque sibi complacet, aut displicet.  
 Tertio, consensum ei præbet, aut prorsus dis-  
 sentit. Consimili ratione, diabolus, mun-  
 dus, caro, viso animam quandam filio DEI  
 de.



desponsatam esse, varias ei tentationes, & suggestiones ingerunt: quibus primo peccatum ei proponitur. Secundo, illa in eo delectationem sentit, aut displicentiam. Tertio, consentit: qui sunt tres illi gradus, quibus ad peccandum descenditur, tentatio videlicet, delectatio, & consensus. Et licet tres hæ actiones non tam aperte in omnibus peccatis percipiantur, & usu veniant, palpabiliter tamen, & manifeste in magnis atque enormibus peccatis eas videre est.

Tametsi tentatio ad aliquod peccatum, quodcumque id sit, committendum, toto vitæ nostræ duraret tempore, non ipsa propterea nos Divinæ Majestati invisos displicentesque redderet, dummodo ipsa nobis non placeat, nec consensum in eam ullum præstemus. Ratio est, quod in tentatione non tam agamus, quam patiamur, cumque nullam in ea delectationem sentiamus, hinc nullam ex ea contrahere culpam, aut reatum possumus, S. Paulus diurnas admodum tentationes, & stimulos carnis passus est, sed adeo propter eas Domino non displicuit, ut DEUS contra etiam inde fuerit glorificatus. Beata Angela de Fulgino tam atroces & acres libidinis tentationes experta est, ut, dum eas describit, legentibus commiserationem sui moveat. Ingentes quoque fuere tentationes, quas olim SS. Benedictus & Franciscus sensere, cum ad

Z 5

eas

cas effugandas aut superandas, ille se in spinetum, hic in densissimam nivem abjecit, neque propter illas vel minimum Divinæ gratiæ punctum amittere, quin imo multum eam inde adauxerunt.

In tentationibus ergo animus non est despondendus, Philothea, neque arma tibi ut victæ abjicienda, quamdiu illæ tibi displicebunt: sed noris, magnam esse differentiam inter tentationes sentire, & iis consentire. Etenim sentire eas possumus, esto nobis displiceant, sed consentire non possumus, nisi placuerint: cum complacentia & delectatio velut gradus sit ad iis consentiendum. Tot ergo salutis nostræ inimici nobis illicia, escas & illecebras offerant, quot cupient; semper ad cordis nostri januam, quo aditum in ipsum inveniant, vigilent; quascunque volent nobis propositiones suggerant; quamdiu ejus animi sumus, ut nullam ex omnibus illis haurire oblectationem velimus, tunc DEUM nulatenus offendere possumus: sicuti Princeps, Principis illius ut dixi maritus, indignari, & succensere ei ob missum illi nuntium nequit, si nullam omnino ex eo ipsa oblectationem, vel complacentiam sensit. Hoc tamen inter animam, & Principem illam quoad hanc materiam interest, quod Princeps, inhonesta illa propositione audita, nuntium, si velit, abigere, & non amplius ei auscultare possit: at,

non

non semper in animæ potestate situm sit, tentationem non sentire, esto semper sit, non consentire. Quamobrem tametsi tentatio diu duret, & perseveret, nullam ea nobis inferre noxam potest, quamdiu nobis displicet.

Sed quod ad delectationem, quæ post tentationem sequi potest, attinet, quod duas anima nostra partes habeat, inferiorem unam alteram superiorem, & inferior non semper superioris arbitrium impulsumque sequatur, sed proprium; hinc sæpe contingit, ut pars inferior in tentatione se oblectet, superiore invita & refragante, hæc est illa pugna & digladiatio, quam Apostolus Paulus describit, dum carnem suam ait concupiscere adversus spiritum, & spiritum adversus carnem; & esse legem quandam membrorum, & legem aliam spiritus, & alia hujus modi.

Vidistine aliquando, Philothea, multas favillas & carbones cineribus coopertos? si quis post decem aut duodecim horas veniat, ignem inde habiturus, nonnisi paucas aliquas in medio loci, & quidem ægre admodum, scintillas reperiet. Sunt tamen, quia inveniuntur; & per eas reliqui carbones jam extincti reaccendi possunt. Eodem modo res habet in charitate, quæ inter ingentes & vehementes tentationes ignis noster spiritualis est: tentatio quippe in partem animæ inferiorem delectationem suam immittens, ani-

mam,



mam, quanta quanta est, cineribus obtegere videtur, Divinumque amorem satis exiguum reddit: neque enim is usquam, quam in cordis medio, & in intimo mentis penetrali apparet: imo nequidem ibi videtur esse, adeo vix inveniri potest. Vere tamen ibi est, cum, tamen si omnia in anima & corpore nostro turbata sint, propositum firmum habeamus, nec peccato, nec tentationi consentiendi, & delectatio, quæ homini nostro exteriori placet, interiori displiceat, quæ licet circum voluntatem nostram oberret, & versetur, in ea tamen non est. Unde liquet, delectationem hanc involuntariam esse, &, cum talis sit, nullum peccatum involvere.

## CAPUT IV.

*Duo insignia, quoad hoc, referuntur exempla.*

**T**anti tua refert, Philothea, hoc prout oportet, intelligere, ut in eo explicando uberius esse, meque diffundere, grave non sim ducturus. An non adolescens ille, cuius Sanctus Hieronymus meminit, dum sericis vinculis quam mollissime molli in lectulo supinus constrictus, diversis lascivis contactibus & illiciis, a procaci quadam muliercula, eodem secum in lecto duntaxat ad illius constantiam & castitatem labefactandam, cubante, ad libidinem & nefas provocaretur, horrendos

dos quosdam carnis stimulos sentire debebat? non sensus illius miro quodam modo a delectatione titillari, & imaginatio illius a presenti hac voluptatum materia & illecebra impeti, ac occupari? Haud dubie; nihilominus tot inter insultus, in tam horrenda tentationum procella, & tot inter voluptates, a quibus undequaque obsidebatur, & premebatur, ostendit, cor suum nullatenus subactum esse, nec voluntatem iis consentire; nam carnem rebellantem prælium sibi movere, nulliusque omnino membri corporis sui, præterquam linguæ, liberum usum sibi videns relictum esse, dentibus suis sibi eam præsecat, & in faciem ejus expuit, a qua anima ipsius longe violentius per voluptatum illecebras oppugnabatur, quam suis carnifices tormentis eam unquam impetere potuissent: unde etiam tyrannus, qui suis illam suppliciis ac cruciatibus expugnari posse diffidebat, his eam credebatur voluptatibus haud dubie cessuram.

Consimili in materia admirabile sane fuit certamen Sanctæ Catharinæ Senensis: quod hic tibi paucis describam. Spiritus nequam diabolus potestatem a Deo accipit, Sanctæ hujus Virginis pudicitiam quam poterat intensissime accerrimeque oppugnandi, ea tamen conditione, ne ipsam contingeret: itaque omnes, quas potuit, impudicas suggestiones, & cogitationes cordi illius immisit; quoque

que eam magis ad lasciviam commoveret, multis secum sociis assumptis, qui virorum juxta ac fœminarum formam induerant, varia operum carnalium, & lubricitatum genera, & gestus illius ante oculos edebat; addebat præterea inhonestissima verba, & compellationes, ac provocationes, quæ omnia licet exteriora essent, tamen mediantibus sensibus profunde se in cor, & animum Virginis purissimæ insinuabant, quod, uti ipsamet confitebatur, iis plenissimum erat, nulla ut in ea, unica excepta pura voluntate superiore, esset pars, quæ ab hac turpitudinis, & delectationis carnalis tempestate non exagitaretur. Quod certe satis diu durabat: usque dum quodam die Redemptor JESUS illi se spectandum dedit. Cui illa, ubi eras, inquit, dulcissime Domine, cum cor meum tot tenebris, & sordibus obsitum erat? Tum Dominus: intra cor tuum eram, filia. Et illa: quomodo, inquiebat, in corde meo habitas, quod tot spurcitiis, & fœditatibus fœscatebat? habitasne ergo in locis adeo turpibus, & impuris? Petiit tum ab ea Dominus: Dic mihi, spurcæ illæ cordis tui cogitationes placebantne tibi, an displicebant? tædium ne tibi pariebant, an delectationem? Respondit Catharina, summam quandam amaritudinem & tristitiam. Rogat tum Dominus, quis magnam hanc amaritudinem & tristiti-



sticiam cordi tuo indebat, nisi ego, qui in animæ tuæ medio absconditus latebam? crede mihi, filia, nisi ego fuisset præsens, certe cogitationes illæ, quæ circum voluntatem tuam errabant, eam expugnare poterant; ipsamque indubie expugnassent, se introrsum insinuassent cum delectatione quadam, a libero tuo arbitrio admissæ fuissent, itaque animæ tuæ mortem intulissent, sed quia ego intus agebam, hinc illam displicentiam & resistantiam in corde tuo excitabam, qua fiebat, ut, quam poterat intensissime, tentationi resisteret: quod vero non posset tantum, quantum volebat, hinc majorem displicentiam & odium tam contra illam, quam contra seipsum concipiebat, unde molestiæ illæ, magni tibi meriti, & lucri spiritualis fuere materia, & insigne virtutis & roboris tui incrementum.

Viden Philothea, quomodo ignis hic sub cineribus latuerit, & tentatio ac delectatio ipsum cor ejus occupassent, & voluntatem etiam obediissent, quæ sola a Salvatore suo adjuncta, per tristitias, & mali sibi suggesti detestations resistebat, assidue peccato, a quo circumdabatur, consentire detrectans. Ah! quantam DEUM diligens anima amaritudinem, & tædium sentit, quod vel nesciat num DEUS intra se sit, an non: & num amor Divinus, pro quo illa decertat, plane in se ex-

stin.

stinctus sit, nec ne? sed norit, purissimum perfectioris amoris cœlestis fontem esse, quod amantem ex solo amore pati, & pugnare faciat, ita ut nesciat, utrum amorem habeat, pro quo, & per quem pugnat.

## CAPUT V.

*Anima in tentationibus constituta animatur.*

**E**Xtravagantes has impugnationes, & vehementes has tentationes, nullis DEUS animabus immitti permittit, Philothea, quam iis, quas ad purum & excellentem amorem suum sustollere vult; at non propterea sequitur, quod postea certæ sint, ad illum se per venturas. Sæpenumero enim factum, ut, qui in tam atrocibus impugnationibus constantes, & insuperabiles fuerant, postea Divinæ gratiæ & favori ea qua oportebat fidelitate non respondentes, in admodum parvis tentationibus succubuerint. Quod ideo dico, ut, si forte te contingat a magna & atroce tentatione impeti, noris, extraordinariam quandam tibi tunc a DEO gratiam & favorem exhiberi, quo ostendat: se velle te in oculis suis illustrem & eminentem facere: & ipsa nihilominus humilis & meticulosa semper maneat, non ideo te parvas tentationes superare posse certo tibi persuadens, quod jam ante magnas superaris; sed ideo tantum, quod fidelem te semper erga Majestatem ipsius præbueris.

Quæ-

Quæcunque ergo tibi tentationes adveniunt, & quæcunque inde delectatio oriatur, nolito turbari, dummodo nullum voluntas tua tam in tentationem, quam in delectationem consensum præstet; DEUS quippe nullatenus propterea offenditur. Quando quis in animi deliquium incidit, nullumque vitæ de foris signum dat, adstantes manum cordi ejus admovent, cujus si vel minimum signum percipiant, statim eum vivere judicant, & alicujus aquæ pretiosæ, aut epithematis adminiculo vigori, & sensibus illum posse restitui: ita nobis nonnunquam contingit, ut nimirum anima nostra tentationum violentia in totale virium suarum deliquium incidisse, ipsaque veluti defecta nullum amplius motum, aut vitam spiritualem habere videatur; at si nosse volumus, quid a parte rei subsit, cordi manum admoveamus; videamus, inquam, num cor ac voluntas suum motum spiritualem adhuc habeant, id est, num ita prout oportet tentationibus consensum præstare, & tentationem simul ac delectationem sequi renuant: quamdiu enim dissensus hujus motus adhuc in corde viget, certi esse possumus charitatem, animæ nostræ vitam, in nobis superesse, & Salvatorem nostrum JESUM Christum, tametsi tecte & abscondite, in anima nostra agere: adeo ut per continuum orationis, Sacramentorum, & in DEUM fiduciæ



exercitium viribus paulatim restituendi sumus, & integra ac delectabili vita victuri.

## CAPUT VI.

*Quomodo tentatio ac delectatio possint esse peccatum.*

**P**Rinceps, cujus supra meminimus, ad inhonestam lascivi illius amatoris sollicitationem nihil de suo contulit, quandoquidem, ut præsupposuimus, illi invitæ eadem facta est: at, si illa contra per illecebras & lenocinia quædam sollicitationis hujus occasionem dedisset, ad amorem pellicere illum, a quo sollicitatur, volendo, ipsamet sollicitationis hujus & causa, & rea esset; & quantumvis obluçtaretur, indignarique se ostenderet, non idcirco minus & culpanda, & castiganda foret. Ad eundem quoque modum aliquando contingit, ut sola nobis tentatio peccatum sit, eo quod causa ipsius simus. Exempli causa, si jam ante novi, me, dum ludo, ad iram concitari, & blasphemare solere, & lusum, ut ad ea tenter, occasionem mihi esse, toties pecco, quoties ad ludendum me applico. Pari modo, si norim, conversationem aliquam mihi semper tentationis & lapsus occasionem esse, & nihilominus libenter & sponte me in illam dem, omnium, quæ inde mihi orientur tentationum causa sum, & occasio.

Quan-

Quando, quæ e tentatione sequitur delectatio, evitari potest, semper cum peccato conjunctum est, illam admittere, prout, quæ inde capitur, delectatio, & consensus, qui in illam datur, magna aut parva est, longa, aut brevis. Princeps illa, de qua locuti sumus, æque reprehendi meretur, si non modo inhonestæ & foedæ propositioni aurem præbeat, verum etiam, postquam eam jam audit, in eadem sese oblectet: cum recreatione quadam animi illam mente volvens, & revolvens, licet enim consentire nolit in realem ejus, quod sibi propositum est, executionem, per delectationem tamen, quam inde percipit, in spiritualem cordis sui applicationem consensum præstat: porro semper inhonestum & turpe est, rei turpi aut animum, aut corpus applicare: inhonestas vero ita in animi & cordis applicatione consistit, ut si ea desit, ipsa corporis applicatio peccatum esse nequeat.

Quando ergo ad aliquod peccatum tentaberis, considera, & vide, num studio & ultro occasionem, ut ad hoc tentareris, dederis, & tunc ipsamet tentatio peccati te ream facit, ob periculum videlicet, in quod te sponte coniecisti: hoc autem ita intelligendum, si commode occasionem evitare potueris, aut te tentandam prævideris, aut prævidere potueris: at, si nullam tentationi occasionem dederis, nullatenus tibi illa ad peccatum imputari potest.

Quando, quæ tentationem sequitur, delectatio evitari potuit, & tamen evitata non fuit, semper aliquod in eo peccatum admisum est, magnum, aut parvum, prout multum, aut parum in ea hæsimus, & prout habitæ inde delectationis causa est. Mulier, quæ nullam compellationis amorosæ causam dedit, compelli tamen gaudet, reprehendenda haud dubie est, si delectatio, quam hinc capit, aliam causam non habet, quam ipsam amorosam compellationem. Verbi gratia, si compellator ipsam ad amorem pellicere gestiens, scite testudinem etiam pulsaret, & ipsa non tam sollicitatione illa ad amorem, quam testudinis illius harmonia & dulcedine delectaretur, nullum hic peccatum subesset, non tamen diu in illa delectatione illi hærendum est, ne forte ab illa ad aliam, quæ ex amorosa sollicitatione sequitur, fiat transitus.

Similiter, si quis mihi stratagema scitis admodum adinventionibus, artificio plenum, quo me de adversario meo ulciscar, proponat, ego vero non tam e vindicta, quæ mihi proponitur, quam ex sola subtilitate inventionis, & artificii delectationem sentiam, aut consensum dem, nullum hic peccatum committo: esto consultum non sit, diu me huic delectationi inhærere, ne illa me paulatim ad aliam, quæ e vindicta sequeretur, abripiat.



Subinde contingit, hominem a quadam delectationis, quæ tentationem immediate sequitur, titillatione occupari prius, quam bene advertat, & reflectat; & hoc, ad summum, non nisi leve admodum peccatum veniale esse potest, quod inde majus fit, si, postquam malum, in quo versatur, advertit, e negligentia quadam aliquantisper cum delectatione ipsa, eane vel admittenda, vel rejicienda sit, velut paciscitur, multo vero majus, si, dum advertit, e mera quadam negligentia per aliquantum temporis in ea hæret, nullo ejus rejiciendæ proposito concepto: at, cum voluntarie, & animo deliberato in hujusmodi delectationibus nobis complacere volumus, & statuimus, hæc ipsa deliberata voluntas magnum est peccatum, si objectum, circa quod delectatio versatur, notabiliter malum sit. Insigne in muliere vitium est, inhonestos, & illicitos amores identidem fovere velle, esto ipsa de factò amanti nunquam se dare vellet.

## CAPUT VII.

*In magnis tentationibus remedia suggeruntur.*

**M**Ox ut aliquam in te tentationem senties, pueros imitare, lupum, aut ursum in agro videntes: statim enim hi intra parentum brachia se recipiunt, aut saltem illorum opem, & auxilium implorant. Ita tu tentata, statim

tim ad DEUM confuge, illiusque misericordiam, & opem inclama. Hoc porro remedium Dominus in tentationibus, tanquam præsentissimum, nobis præscribit dum ait: *Orate, ut non intretis in tentationem.*

Si nihilominus tentationem adeo non recedere videas, ut etiam increfcat, in spiritu magno cum ardore Sanctam Domini Crucem amplectere, tanquam si Redemptorem nostrum JESUM Christum crucifixum ante oculos tuos cerneres, & protestare, te tentationi nunquam assensuram, ejusque opem contra eandem invoca, & protestari semper perge, nunquam te tentationi, quamdiu durabit, consensum præbere velle.

Verum dum hæc protestationes facies, & consentire renues, non debes tentationem, sed Dominum JESUM solum intueri: si enim tentationem, præsertim cum vehemens est, intuearis, tuum illa animum concutere, & vacillantem reddere posset.

Per bonas, & laudabiles quasdam occupationes spiritum tuum aliquo modo diverte: ubi enim hæc animum tuum ingressæ fuerint, tentationes omnes, ac suggestiones malignas a te repellent, & effugabunt.

Præsentissimum contra quaslibet tentationes, magnas æque ac parvas, remedium est, animum, & cor nostrum aperire, & quas habemus, & patimur suggestiones, sensus, & affe-

affectus cum directore nostro communicare. Nam primum, quod caecodæmon cum anima, quam circumvenire, & seducere vult, incompactum, est, ut ipsa fileat, & nihil suggestorum cuiquam aperiat, sicuti illi, qui mulieres, aut puellas decipere gestiunt, hoc ante omnia inhibent, ne, quæ ipsis proponunt, maritis aut patribus patefaciant. DEUS vero contra suis in inspirationibus hoc ante omnia requirit, ut eas superioribus, & conductoribus nostris declarem.

Quod si nihilominus post hæc omnia tentatio perseveret, nosque oppugnare pergat, nostrum quoque est, a parte nostra in protestatione, ei consentire nolendi, progredi: nam quemadmodum virgines maritum non inveniunt, quamdiu dicunt se nolle; sic anima tametsi oppugnata, & turbata, nullum detrimentum capiet, quamdiu se consentire nolle dicit.

Noli cum adversario, & hoste tuo verbis contendere, imo nullo eum verbo dignare, præterquam illis, quæ Salvator illi olim dixit, quibusque eum confudit, dicens: *Vade Satan, scriptum est, Dominum DEUM tuum adorabis; & illi soli servies.* Et sicuti casta matrona ne verbum quidem respondere, aut in facie intueri debet illum, a quo pudicitia illius tentatur, aut sollicitatur: sed, quamprimum se ab eo proripiendo, statim animum suum marito



rito applicare, & versus illum convertere, quamque ei spondit fidelitatem, novo juramento renovare, nec multum cum ipso altercari, aut contendere; sic anima devota ab aliqua se tentatione impetitam, & oppugnatam cernens, non multum in contendendo respondendove se detinere debet, sed solummodo versus JESUM Christum sponsum suum se convertens, de novo ei fidelitatem jurare; & quod tota, quanta quanta est, illius solius semper, & in perpetuum esse velit.

## CAPUT VIII.

*Parvis tentationibus resistendum est.*

**E**Sto, gravibus, & magnis tentationibus resistendum sit, & ea, quam de iis referimus, victoria nobis summe sit utilis: forsitan tamen longe fructuosius, & utilius est parvis resistere. Nam quemadmodum majores minoribus in qualitate præstant, sic istæ in numero usque adeo superant, ut, quæ ex iis refertur victoria, illi, quæ e maximis sequitur, possit æquiparari. Lupi, & ursi haud dubie periculosiores sunt quam muscæ, non sunt tamen tam importuni, & molesti nobis, neque adeo nostram exercent patientiam. Facile est, ab homicidio sibi cavere; at difficile est, a parva iracundia, cujus singulis prope

momentis occasiones occurrunt. Facile est viro æque ac mulieri, evitare adulterium; at non tam facile est oculorum nutus, & conjectus, reciprocam amoris admissionem, gratiarum, & levium benevolentiarum procurationem, amatoriorum, & nugacium verborum locutionem auditionemve excludere. Facile est marito, aut uxori, corrivalem de facto, & quoad corpus, non superinducere: at non tam facile, eum ab animo, & corde proscribere: facile est, lectum conjugalem non inquinare; at difficile, in amorem reciprocum non delinquere: facile est, bona aliena non diripere; at difficile, iis non inhiare, non concupiscere: facile est, falsum in tribunalibus testimonium non proferre; at difficilimum, in mutua conversatione non mentiri: facile est, vino non inebriari; at difficile, sobrium esse: facile mortem alienam non desiderare; at difficile, damnum aut incommodum cujuscumque non optare: facile est, proximi famæ aut nomini non detrabere; sed difficile, illum non vituperare. Itaque parvæ hæc tentationes ad choleram, suspiciones, zelotypiam, invidiam, amorculos, nugacitatem, vanitates, duplicitates, affectationem, artificia, simulationes, cogitationes inhonestas, continua sunt etiam maxime devotorum, & generosissimorum exercitia. Quamobrem summa cum cura, & diligentia ad

hunc nos conflictum præparemus oportet, charissima Philothea, tibi que persuadeas velim, quot de parvis illis inimicis victorias referimus, tot ad coronam gloriæ, quam nobis DEUS in cœlesti suo domicilio præparavit, margaritas, & gemmas addendas. Ergo quousque occasio, bene, & generose cum magnis ac gravibus tentationibus certandi occurrat, contra parvos, & debiles hos insultus magna contentione, & studio depugnemus oportet.

## CAPUT IX.

*Quomodo parvæ tentationes superandæ sint.*

**Q**UOD autem ad parvas has tentationes, ad vanitatem, suspicionem, morositatem, zelotypiam, invidiam, amorceulos, & similes inanias spectat, quæ velut muscæ, & culices nos identidem circumvolitant, & modo genas, modo nasum compungunt; cum ab ipsarum importunitate, & molestia prorsus liberi esse non possimus, optima iis resistendi, & vincendi ratio est, ob ipsas minime turbari. Etenim nocere hæc non queunt, esto molestiam inferre, dummodo firmum, & solidum DEO serviendi propositum habeamus.

Itaque parvas has tentationes, & insultus contemne, imo ne quidem ad id, quod tibi oggerere gestiunt, reflectere dignare, sed tantum,



tum, quantum volent, illas circum aures tuas ad instar muscarum volitare, bombizare, teque oberrare sine; cumque te pungere volent, ipsas in corde tuo aliquo modo habitare, & sedem figere velle videbis, a te tantummodo eas abige, non tam contra ipsas contendendo, ipsive respondendo, quam contrarios iis, prout quidem ipsæ erunt, & in primis amoris DEI actus exercendo. Etenim, si mihi credas, non debes tentationi, quam senties, contrarium, & directe oppositam virtutem pertinaciter, & expresse opponere: hoc namque perinde foret, ac si cum ea contendere, & decertare velles, at, postquam unum virtutis illius, directe ei contrariæ actum exercuisti, si otium tibi fuerit, ad qualis tentatio tua sit, agnoscendum: cor tuum JESUM Christum crucifixum versus simpliciter convertes, & per quendam amoris erga eundem actum, sacros illius pedes exosculaberis. Est hæc optima inimici tam in parvis, quam magnis tentationibus superandi ratio: etenim DEI amor cum cæterarum virtutum omnium perfectiones in se contineat, & quidem multo eminentius, & excellentius, quam ipsæmet virtutes, hinc optimum est, contra vitia omnia remedium. Et animus tuus, ubi in omnibus tentationibus suis, ad generale hoc asylum confugere assueverit, non est, quod respiciat aut exami-

net, quales tentationes suæ sint; sed simpliciter se turbatum sentiens, in hoc singulari remedio solum acquiescet, & opem inveniet. Præterea spiritui nequam, & maligno ipsum ita exosum, & terribile est, ut, ubi per tentationes suas nos ad divinum hunc amorem provocari videt, eas nobis cesset immittere.

Et hæc quidem, quoad parvas & frequenter obvias tentationes, quas, qui singillatim excutere, & curare vellet, seipse conficeret, & nihil proficeret.

## CAPUT X.

*Quomodo animus contra tentationes sit corroborandus.*

**C**onsidera de tempore in tempus, quales passiones potissimum & maxime in anima tua dominantur: ubi inveneris quænam illæ sint, eam vivendi rationem tibi delige, quæ ipsis directe in cogitationibus, verbis, & operibus sit contraria. Exempli gratia, si ad vanitatis passionem te propendere, & inclinare sentias, sæpe de vitæ hujus mortalis & humanæ miseriis cogita, quam hæc vanitates in die mortis conscientiæ futuræ sint molestæ & graves, quam animo generoso sint indignæ, non eas esse aliud, quam puerorum crepundia & ludicra, & alia id genus: sæpe quoque in vanitatem invehere, & esto id non ex animo, sed eo reluctantante facere videaris, eam  
ta-

tamen quam potes maxime fugilla & contemne: hac namque ratione, etiam apud eos, qui aliter sentiunt, & eam sectantur, magnum tibi nomen comparabis. Cum enim sæpe & identidem in rem aliquam verbis invehimur, eam odio prosequi affuescimus, & addiscimus, esto initio summopere erga eandem afficeremur. Abjectiones & humilitatis opera, quam potes, plurima exerce, licet ab iis aliena esse, & abhorrere videaris: hoc namque modo humilitatis tibi habitum comparas: tuamque vanitatem minorem & debiliorem reddis, adeo ut cum ejus tentatio veniet, tanto in eam affectu inclinatura non sis, ad eam vero oppugnandam longe potentior futura. Si vero in avaritiam feraris, identidem peccati hujus fatuitatem & stultitiam animo volvas, utpote, quod ejus rei nos servos reddit, quæ non nisi ad nobis serviendum & famulandum creata est: & in morte omnia deferenda, & relinquenda illi, qui illa forte dissipabit, abliguriet, aut cui ruinæ & sempiternæ damnationis futura sunt occasio, & alias ejus generis cogitationes. Avaritiam identidem insectare, & fugilla, & contra mundi contemptum deprædica. Sæpe tibi ad elemosynas erogandas, & charitatem in pauperes exercendam, & ad aliquas lucrandi, opesque coacervandi occasiones elabi non sinendum, vim inferas.



Si vero ad amorem dandum, recipiendumve propendeas, frequenter tecum perpende, quam inane hoc studium & occupatio tum tibi, tum aliis periculosum sit: quam item indignum, nobilissimum animæ nostræ affectum inanibus oblectationibus profanare, & impendere: quam merito hoc maximæ cujusdam levitatis animi signum ab omnibus haberi debeat. Loquere dein sæpe in laudem puritatis, & animi candoris, & quam potes plurimos ei conformes actus exerce, omnes vanitates, & illecebras procreationes compellationesque a te abdicans.

Denique tempore pacis, id est, cum a tentationibus ad peccatum, cui obnoxia es, libera eris, permultos contrariæ virtutis actus exerce; & siquidem ejusdem exercendæ occasionem non se offerant, eas capta, & ultro velut iis occurre. Hac namque ratione animum contra futuram tentationem obfirmabis, & communies.

## CAPUT XI.

### *De Inquietudine.*

**I**Nquietudo simplex & unica tentatio non est, sed fons & origo, e qua, & per quam permultæ tentationes proveniunt, aliquid ergo de eadem dicturus sum. Tristitia nihil est aliud, quam quidam animi dolor de ma-  
lo,

lo, quod nobis, invitis nobis, inest; sive ipsum externum sit, uti paupertas, morbus, contemptus; sive internum, uti ignorantia, ariditas, repugnantia, tentatio. Cum ergo aliquod se malum habere percipit, hoc ipsum ei displicet, & sic in ea nascitur tristitia: statimque ab eo liberari cupit, & illius a se abdicandi modum mediaque conquirat. Et hactenus quidem ex ratione procedit, naturaliter namque bonum quisque desiderat, & quod malum esse cogitat, detestatur, & fugit.

Si, ut a malo suo anima liberetur, ex solo DEI intuitu media conquirat, conquiret ea, cum patientia, suavitate, humilitate, & tranquillitate; liberationem suam magis a DEI bonitate, & providentia, quam a labore, industria, ac diligentia propria expectans. Si vero ex amore proprio suam liberationem procuret, admodum anxie in mediis conquirendis laborabit, & sollicita erit, tanquam si bonum id ab ipsa potius, quam a DEO, dependeret: non dico, ipsam id de facto cogitare, sed ita sollicitam esse, tanquam si cogitaret. Quod si interdum, quod desiderat, non inveniat, in magnas incidit inquietudines, & impatientiam, quæ præcedens malum adeo non auferunt, aut leniunt, ut etiam faciant ingravescere, & adaugeant: unde anima in immoderatam quandam anxietatem, pressuram, & mœrorem incidit, & ita penitus

tus animo, & viribus cadit, ut nullo malum suum modo curari posse putet. Vides ergo tristitiam, quæ initio æqua, & justa erat, inquietudinem progignere; ab hac vero pejorem tristitiam inaugeri, quod certe nimis quam periculosum est.

Inquietudine nullum, unico excepto peccato, accidere gravius malum potest. Nam quemadmodum reipublicæ seditiones, & intestini tumultus prorsus eam destruunt, & evertunt, atque impedimento ei sunt, ut externis hostibus resistere non valeat: sic, ubi animus noster in seipso turbatus, & inquietus est, vires ad virtutes, quas jam sibi comparat, conservandas, nec non inimici tui omni ope, at in aqua turbida (uti proverbio dicitur) piscandum connitentis, tentationibus resistendum necessarias amittit.

Nascitur autem inquietudo ex inordinato quodam, ut a malo, quod quis sentit, liberetur, aut ut bonum, quod sperat, consequatur, desiderio: nihil tamen est, quod magis prius malum adaugeat, aut bonum speratum magis recedere faciat, quam inquietudo & sollicita illa anxietas. Aviculæ ideo retibus & laqueis captæ manent, quod, cum iisdem se implicatas sentiunt, nimio quodam corporis motu & agitatione sese explicare, & extricare gestiant; quod cum faciunt, semper magis magisque iis se induunt. Cum ergo  
ar-



ardenter aliquo liberari malo, aut bonum aliquod habere desiderabis, ante omnia operanda, ut animum serenes & tranquilles: iudicium & voluntatem tuam ad moderationem componas, ac deinde suaviter & leniter desiderium tuum executioni mandare satagas, convenientia ad hoc media modosque, idque certo quodam ordine, adhibendo. Cum autem dico, leniter, non ita intelligo, quasi negligenter in eo te gerere debeas, sed, ut id sine anxietate, turbela, & inquietudine animi fiat: alioquin adeo optatum desiderii tui effectum & finem non consequeris, ut potius omnia destructura, teque magis & magis sis intricatura.

Dixit olim Psaltes: *Anima mea in manibus meis semper, Domine, & legem tuam non sum oblitus.* Sæpius per diem, saltem vesperi & mane, examina, num animam in manibus tuis habeas, an non vero aliqua eam passio, & inquietudo tibi abstulerit. Considera, num cor morigerum tibi & obediens habeas: an vero tuis id manibus sese subducendo effugerit, quo se inordinato alicui affectui amoris, odii, invidiæ, cupiditatis, timoris, rædii, gaudii applicaret: si ergo a debita via deflexerit, ante omnia ipsum quære, & suaviter ad DEI præsentiam reducere conare omnes affectus, voluntates, & desideria tua sub Divinæ ejus voluntatis & beneplaciti obedientiam

tiam directionemque redigens. Nam sicuti, qui rem sibi caram & pretiosam amittere verentur, suis eam manibus arcte conclusam tenent; ita nobis, ad magni illius Regis intentionem, & exemplum semper dicendum est, anima mea præsentis periculo exposita est Domine: hinc eam semper in manibus meis gesto, itaque legem sanctam tuam non sum oblitus.

Ne permittas unquam, ut desideria tua, quantumvis parva, & parvi momenti sint, te inquietent: nam post parva illa, ea, quæ majora, & majoris momenti sunt, animum tuum perturbationibus & inordinationibus admittendis magis dispositum inveniunt. Ubi ergo inquietudinem aliquam in corde tuo senties, DEO te commenda, & firmiter tecum statue, nihil penitus exequi eorum, quæ, ut facias, desiderium tuum a te requirit, priusquam inquietudo tua prorsus evanuerit, nisi forte res hujusmodi foret, quæ commode differri non posset; tunc quippe suavi & tranquilla quadam violentia desiderii tui impetus & cursus tibi inhibendus est, ita ut tantum ipsum temperes, & modereris, quantum tibi erit possibile. At dein rem non pro desiderii tui impulsu, sed ex rationis præscripto ductuque exequaris.

Si inquietudinem tuam animæ directori, aut saltem alicui fido ac devoto amico detegere

gere possis, certa esto, te quam primum serenandam ac tranquillandam: etenim dolorum cordis communicatio eisdem in anima affectus operatur, quos sanguinis emissio, & venæ incisio in corpore illius, qui continua febris æstuat. Hoc namque omnium est remedium præstantissimum. Unde S. Ludovicus Rex inter alia multa documenta etiam hoc filio suo præscripsit: *Si quam in corde pressuram, aut inquietudinem sentias, Confessario tuo, aut alteri cuiquam viro bono quamprimum eam detege, ita fiet, ut per illud, quod ille tibi suggeret consilium, malum tuum æquanimius & levius portes.*

## CAPUT XII.

### De Tristitia.

**T**ristitia, quæ secundum DEUM est, inquit Apostolus, pœnitentiam in salutem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur. Tristitia ergo potest esse & bona, & mala, pro varietate affectuum & motuum, quos in nobis causatur: quamquam fatendum sit, plures eam malos, quam bonos effectus producere: nam duos tantum bonos producit, misericordiam videlicet, & pœnitentiam; sex autem malos, anxietatem, acediam, indignationem, zelotypiam, invidiam, & impatientiam, unde dicit Sapiens: *Multos occidit tristitia, & non est utilitas in illa; nam, cum non nisi duo boni &*



tristitiæ fonte manent rivuli, sex ex eo malos enasci videmus.

Tristitia velut instrumento cacodæmon utitur ad tentandos, & exagitandos bonos: sicut enim omni ope connititur, ut improbos suo in peccato exultare, & gaudere faciat; sic bonos, ut bonis operibus suis contristentur, animumque dejiciant, inducere allaborat, & sicuti malum non aliter procurare, & causare potest, quam suggerendo, ipsum dulce, & suave esse: sic nec a bono aliquem potest divertere, aut retrahere, quam ipsum insipidum, & injucundum esse ostendendo. Cacodæmon tristitia & melancholia delectatur, quod tristis ipse, ac melancholicus & modo sit, & æternum futurus sit: unde neminem non sibi similem esse vellet.

Tristitia mala animam turbat, & inquietat, inordinatos ei injicit timores, orationem insipidam reddit, cerebrum confopit, & obruit, animam privat consilio, resolutione, judicio, animo, & vires ac robur illius eripit; est denique ceu rigens quædam bruma, omnem terræ pulchritudinem demetens, & animalia omnia torpida reddens: omnem namque animæ sanitatem tollit, eamque impotentem reddit.

Si ergo te contingat, Philothea, a mala hac tristitia occupari, hoc remedium adhibe: *Tristatur aliquis vestrum?* inquit S. Jacobus, *oret.*  
Ora-

Oratio quippe præsentissimum illius curandæ remedium est, spiritum namque sustollit in DEUM, qui unicum nostrum gaudium & consolatio est. Sed vide, ut inter orandum iis affectibus & verbis, tam mentalibus, quam exterioribus utaris, qui fiduciam quandam & DEI amorem spirent; uti sunt: o DEUS misericordiæ! clementissime DEUS, benignissime Redemptor, DEUS cordis mei, gaudium, & spes mea, sponse dulcissime, animæ meæ dilecte, & alia ejus notæ.

Inclinationibus ad tristitiam magna animi contentione te objicito, & quamvis omnia, quæ illo in tempore facies, tibi frigide cum tristitia, & negligenter fieri videantur, noli tamen ab iis faciendis deterreri. Etenim inimicus, qui per tristitiam languidos nos, & torpidos bonis in operibus reddere conatur, ubi nos nihilominus illa peragere viderit, & quod illa aliqua cum resistantia, & animi aversione peracta, longe majoris sunt meriti, ulterius nos vexare, & affligere cessabit.

Ad hæc cantica cane spiritualia: per hæc quoque factum non raro, ut quod intendebat cacodæmon, perficere intermiserit: ut videre est in spiritu, qui Saulem possidebat, cujus violentia per psalmodiam fuit repressa.

Consultum præterea, exterioribus operibus bonis intendere, eaque quam potes diversissima obire: ut hac ratione anima a tri-

sti illo objecto divertatur, spiritus potentiales purificentur, & incalescant, cum ipsa tristitiæ passio frigida, & arida sit complexionis.

Exteriora illa opera ferventer perage, esto nullum in iis gustum sentias, crucifixi Domini imaginem complectendo, & pectori applicando, pedes manusque ejus exosculando, oculos manusque tuas in cœlum sustollendo, & Dominum verbis amorem, & fiduciam insignem spirantibus identidem compellendo, qualia sunt: *Dilectus meus mihi, & ego illi. Fasciculus myrrhæ, Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur: oculi mei semper ad te Domine, dicentes: quando consolaberis me? O JESU! esto mihi JESUS: veniat JESUS, & anima mea vivet. Quis me separabit a charitate DEI? Et alia id genus,*

Moderata flagellatio bonum in tristitia remedium est; quod voluntaria illa afflictio exterior, interiorem impetret consolationem, & anima dolores sentiens exteriores, internos quam minimum curet.

Ad hæc, sanctæ Communionis frequentatio huc quam maxime conducit: hic quippe cœlestis panis animum corroborat, & spiritum exhilarat.

Omnes tristitiæ tuæ sensus, affectus, & suggestiones humiliter, & fideliter Confessorio aut animæ tuæ directori communica: hominum spiritualium consortia quære, eosque  
tunc



tunc temporis potissimum, & quam potes maxime, frequenta.

Denique resigna te in manus DEI, disponens te ad molestam, & tædiosam hanc tristitiam magna cum patientia, ceu justissimam vanorum tuorum gaudiorum punitionem, tolerandam. Et noli dubitare, quin DEUS, postquam aliquantisper te probaverit, ab hoc sit malo te liberaturus.

## CAPUT XIII.

*De spiritualibus, & sensibilibus consolationibus,  
& quomodo se in iis gerere homo debeat.*

**M**agni hujus mundi esse DEUS in perpetua quadam conservat vicissitudine; ita fit, ut dies semper in noctem transeat, & hyems in ver perpetua quadam alternatione convertatur, & dies unus alteri per omnia nunquam sit similis: hos enim videre est nebulosos, illos pluvios, alios aridos, alios denique ventosos: quæ certe varietas, & vicissitudo insigne huic universo addit ornamentum. Idem omnino in homine, qui, juxta veterum sententiam, quoddam mundi compendium est, videre licet: nunquam enim is in eodem statu permanet, & vita ejus super terram, velut aqua fluit, in perpetua quadam motuum varietate, & diversitate fluctuans, & refluxans: modo namque spe sustollitur, modo

timore dejicitur; modo per consolationes in dextram, modo per afflictionem in sinistram vergit: & nunquam vel unus vitæ illius dies, imo nec hora quidem, per omnia, & totaliter priori, & alteri similis est.

Egregium hoc documentum est: demus ergo operam, ut continuam, & inviolabilem quandam, in tanta accidentium, & casuum inæqualitate, æquabilitatem cordis habeamus; & esto omnia diversimode circa nos vertantur, & volvantur, nos nihilominus constanter immobiles maneamus in DEO semper intuendo, spectando, & ad eum tendendo. Navis cum cursum teneat, quem voluerit, in Orientem, & Occidentem, Meridiem aut Septentrionem, aut quocunque libuerit, feratur; nunquam tamen nautica ejus acus aliud spectabit, quam polum suum, & cynosuram. Esto omnia, non dico circa nos, sed intra nos, id est, anima nostra contristetur, aut gaudeat; dulcedine repleta sit, vel amaritudine, in pace agat, aut bello, claritas eam illustret, vel tenebræ obnubilent, tentationibus exagitetur, aut quieta sit; consolationibus perfundatur, aut desolationibus dejiciatur; in ariditate vivat, vel teneros quosdam sentiat affectus, sol eam exurat, vel ros refrigeret; semper tamen, & incessanter cordis, spiritus, & voluntatis nostræ superioris (quæ nostra velut acus nautica est) cuspis, ad DEI Creatoris,

ris, Salvatoris, atque unici, & supremi boni sui amorem respiciat, & perpetuo tendat, *sive morimur, sive vivimus*, inquit Apostolus, *semper Domini sumus, & quis nos separabit a charitate DEI?* nihil certe nos unquam ab hac charitate separabit; non tribulatio, non angustia; non mors, non vita: non dolor presentium non futurorum accidentium timor: non afflictionum profunditas, non teneritudo, non ariditas poterit nos separare a charitate; quæ est in Christo JESU Domino nostro.

Solida, & infracta hæc nunquam DEUM deferendi, aut dulcem ejus amorem repudiandi resolutio, animabus nostris, velut contrapondium est ad eas in sancta æquabilitate, & justo pondere, in tanta diversorum motuum, quos vitæ hujus conditio, in ipsis causatur, inæqualitate, conservandas. Sicut enim apes, cum ventus ipsas derepente occupat, lapillos, & calculos quosdam velut libramentum quoddam arripiunt, ut per aëra volantes, non tam cito, & facile huc, & illuc a ventorum turbine abripiantur: Sic anima nostra postquam per resolutionem generosam pretiosum DEI amorem apprehendit, inter consolationum, ac desolationum, tam spiritualium, quam corporalium, tam exteriorum, quam interiorum, inconstantiam ac vicissitudinem constans, & firma manet.



Sed præter doctrinam hanc generalem, particularibus quibusdam documentis, & præceptis opus habemus.

Dico ergo primo; devotionem non in sensibili quadam cordis dulcedine, suavitate, consolatione, & teneritudine, quæ nimirum lacrymas, & gemitus elicit, & nescio quem gratum, & sapidum in exercitiis quibusdam spiritualibus gustum nobis det, consistere. Neque enim hæc, & devotio, charissima Philothea, unum quid sunt. Siquidem multæ sunt animæ, quæ has quidem teneritudines, & consolationes habent, interim tamen valde vitiosæ sunt, ac proinde verum DEI amorem, multo etiam minus veram aliquam devotionem, non habent. Saul miserum Davidem, quo eum neci daret, qui proinde per desertam Engaddi a facie ejus fugiebat, persequens, solus in eam speluncam, in qua David cum sociis suis latebant, ingressus est. David, qui millies eum hic interficere potuisset, ejus vitæ pepercit, imo ne timorem quidem ullum ei incussit: sed eum liberum abire passus, postea ei in clamavit, quo suam ei sinceritatem ostenderet, & sua vitam ipsius in potestate fuisse declararet. Quid non deinde fecit Saul, quo animum suum erga Davidem jam mitiorem esse, & molliorem se factum ostenderet? filium eum vocat, in lacrymas, & æterum elatiorem prorumpit, eum deprædicat, illius  
clè-

clementiam, & mansuetudinem celebrat, DEUM pro ipso rogat, futuram ipsius magnitudinem præfagit, & auguratur, denique quos post se relicturus erat filios, & nepotes, ei commendat. Majoremne Saul dulcedinem, & animi affectum, ac teneritudinem testari poterat? attamen animum, & mentem suam, non mutaverat, tam infense, & atrociter postea Davidem illum persequens, quam persecutus erat prius. Consimili modo quidam sunt, qui cum DEI bonitatem, & Passionem Domini considerant, insignem animi teneritudinem sentiunt, quæ ipsos suspirare, lachrymari, orare, & in valde sensibiles gratiarum actiones prorumpere facit; adeo, ut magna cor eorum devotione æstuarè quis diceret. At cum aliquod rei hujus sit periculum, videre est, sicut transitorius æstatis cujusdam æstuantissimæ imber, magnis guttis in terram decidens, ipsam non penetrat, & non nisi ad fungos producendos conducit; sic hæc lachrymas, & teneritudines, in animum vitiosum delabentes, nec ipsum penetrantes, prorsus ei inutiles esse, nec ad aliquid conducere, neque enim propter eas hi vel obulum restituerent eorum, quæ inique possident, nec vel uni pravo suo affectui renunciarent, ne vel minimum propter Dominum JESUM, cujus causa ante paulo lachrymati sunt, subire incommodum vellent, adeo ut boni illi, quos

habuere, motus nonnisi velut fungi quidam spirituales sint, qui non solum vera non sunt devotio, sed sæpe insignis caecodæmonis impostura: hic enim animas parvis hisce consolatunculis demulcens, & illiciens, facit, ut iis prorsus contentæ maneant, maximeque sibi in iis complacent; idque, ne veræ, & solidæ devotioni, quæ in constante, resoluta, prompta, & activa faciendi, quidquid DEO placere novimus, voluntate consistit, quærendæ insistant.

Puer tenerrime, & affectuosissime plorabit, si matri suæ scalpro, & phlebotomo venam a chirurgo incidi videat; at si mater, cujus causa flebat, eo ipso tempore, pomum aut cucullum saccareum, quem ipse manibus tenet, ab illo petat, nullatenus ei cederet. Tales ut plurimum sunt teneræ nostræ devotiunculæ: viso namque a lancea JESU Christi crucifixi cor transadigi, & trajici, amarissime fleamus. Bene quidem se habet, Philothea, quod ob dolorosam Patris & Redemptoris nostris mortem ac passionem ploremus; sed, cur non cedimus ei libenter pomum, quod in manu habemus, quodque ipse tam instanter a nobis postulat; cor inquam nostrum, unicum pomum amoris, quod amantissimus ille Redemptor a nobis requirit? quin ei cedimus, & tradimus tot parvas affectiunculas, & complacentias, quas ille nobis e manibus eripere qui-



quidem vellet, at non potest, quod nostrum illæ sint saccarum, quarum avidiores, & amantiore sumus, quam gratiæ illius cœlestis: sunt hæ, non nisi puerorum amicitia, teneræ quidem, sed debiles, sed vanæ, sed nullius omnino effectus. Non ergo in hisce teneritudinibus & sensibilibus affectibus, (qui sæpe ab ipsa naturali complexione, quæ adeo mollis, & impressionis, quam quis ei imprimere vult, valde susceptibilis est, aliquando etiam ab ipso cacodæmone causantur, & ortum habent, qui, quo nos in his parvis pueriliter detineat, imaginationem nostram convenienter ad hujusmodi effectus hæc apprehendere facit) devotio consistit.

Secundo: Hæ tamen affectus dulcedines, & teneritudines aliquando, & optimæ, & utilissimæ sunt: quod animæ appetitum excitent, animum corroborent, & ad ipsam devotionis promptitudinem sanctam quandam addant hilaritatem & gaudium, quæ actiones nostras & decorat, & gratos, etiam quoad exteriora reddit. Atque hic est ille rerum Divinarum gustus, & sapor, quem David vates sentiens exclamabat: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & favum ori meo.* Et sane, vel minima devotionis consolatio, qua perfundimur, per omnia exquisitissimis mundi consolationibus & recreationibus præponderat, & potior est. *Ubera, & lac,* id est, Sponsi cœlestis

lestis recreationes, *meliora sunt* animæ pretiosissimo voluptatum terrenarum *vino*, illa enim qui gustavit, reliquas omnes consolationes fellis & absynthii instar reputat. Et quemadmodum, qui herbam Scythicam ore continent, tam singularem ex ea dulcedinem sentiunt, ut nullam aut famem, aut sitim sentiant: sic ii, quibus DEUS cœleste hoc dulcedinum & consolationum internarum manna impertivit, nullas omnino mundi hujus consolationes desiderare, aut admittere possunt, saltem ad gustum aliquem ex iis percipiendum, aut affectu illis adhærendum. Sunt hæc quippe prægustus & promulsides quædam dulcedinum & voluptatum illarum immortalium, quas DEUS dat animabus quærentibus se: sunt item saccarum, quod parvulis suis dat, ad illos alliciendum & attrahendum, sunt ad hæc aquæ cardiacæ, quas ad ipsos confortandos DEUS propinat, & dat, subinde quoque sunt quædam Divinarum retributionum arrhæ. Dicitur Alexander Macedo, eminus, & in mari adhuc navigans, primus felicem Arabiam, ex odorum suavium, quos aura ei afflabat, olfactu detexisse, & percepisse; unde & seipsum, & suos omnes, ad eam adeundam animavit: pari modo & nos, in hoc vitæ mortalis, & ærumnosæ pelago, subinde quasdam dulcedines, & suavitates sentimus, quæ patriæ illius cœlestis, ad quam omnes tendimus, aspira-

ramus, & navigamus, delicias & recreationem haud dubie prælibare, & præsentire nos faciunt.

Tertio: Sed inquires, cum quædam sensibiles consolationes bonæ sint, & a DEO proveniunt; & aliæ vice versa inutiles, periculosæ, imo & perniciosæ sint, aut a natura, aut ab ipso salutis nostræ adversario causatæ, quomodo has ab illis discernere poterò, & malas inutilesve a bonis distinguere? Generalis doctrina est, charissima Philothea, animarum nostrarum affectus & passiones e fructibus suis nobis esse cognoscendos. Animi nostri velut arbores sunt, affectus & passiones eorum sunt rami; eorum denique opera & actiones fructus. Animus ille bonus est, qui bonos habet affectus, affectus illi & passiones boni sunt, qui bonos in nobis effectus, & sanctas actiones producant. Si ergo suavitates, teneritudines, & consolationes nos faciant humiliores, patientiores, benigniores, affabiliore, & rebus proximi compatientiores, in concupiscentiis, & parvis inclinationibus nostris mortificandis ferventiores, in exercitiis nostris spiritualibus constantiores, erga eos, quibus obedientiam debemus, patientiores, & flexibiliores, denique in omni vitæ nostræ ratione sinceriores, certissimum signum id est, Philothea, eas a DEO provenire.



At si suavitatum illarum dulcedo nonnisi circa nos versatur, si nos curiosos, morosos, asperos, impatientes, pervicaces, arrogantes, præsumptuosos, erga proximum immites faciat, denique, si nos ob easdem velut parvos quosdam sanctos circumspicientes amplius aliorum directioni, & correctioni subesse nonimus; falsæ, & perniciosæ consolationes indubie sunt. Arbor bona namque non nisi bonos profert fructus.

Primo ergo, quando id genus dulcedines, & consolationes sentiemus, insigniter nos coram DEO humiliemus, caveamusque, ne propter illas dicamus: Hem quam sum bonus! nequaquam, Philothea; bona quippe ea sunt, quæ nos non faciunt meliores, sicut enim dixi, in hoc devotio sita non est. Sed dicamus: quam bonus DEUS Israël iis, qui sperant in illum, animæ quærenti illum! qui saccharum in ore habet, dicere nequit os suum dulce esse, sed saccarum: pari modo, esto hæc spiritualis dulcedo valde bona sit, & DEUS eam dans sit optimus, inde tamen non sequitur, eum, qui ipsam sentit, bonum esse.

Secundo: Agnoscamus nos adhuc velut infantes esse, qui lacte habeamus opus; & ideo nobis saccarum hoc datum, quod spiritum adhuc tenerum habeamus, & delicatum, qui illicitis, & adescationibus quibusdam opus habet, quo ad DEUM amandum emoveamur.

Ter-

Tertio: Sed ( ut generaliter, prout ordinarie contingit, loquamur ) deinde gratias has, & favores magna cum animi humilitate recipiamus, easque plurimi faciamus, non tam ob id, quod in se sunt, quam quod a manu DEI nobis suppeditentur: tanquam si mater, quo infantem suum placaret, & leniret, suamet manu saccarea tragemata, unum post aliud, ori illius ingereret: si enim infans sensu, & ratione uteretur, pluris certe dulcedinem blanditiarum, & amorum, quos sibi mater ostendit, faceret, quam ipsam saccari aut tragematum. Eodem modo, multum quidem est, Philothea, consolationes, & dulcedines habere ac sentire; verum dulcedo dulcedinum est, considerare DEUM ipsum amorosa, & paterna sua manu eas nobis in os, in cor, in animam, in spiritum ingerere.

Quarto: Postquam jam eas hac cum animi demissione admiserimus, solícite & debite juxta intentionem ejus, a quo eas recepimus, illas usurpemus. Ad quid enim putamus has nobis DEUM dulcedines immittere? ut nimirum per eas erga unumquemque nos benignos reddat, & simul in sui amorem rapiat. Ideo mater filio suo saccarum dat, ut ipsi det osculum, illum ergo Salvatorem osculemur, qui tot nobis suavitates, delicias, & tragemata elargitur. Salvatorem vero osculari, est illi obedire, mandata ejus servare, voluntatem

ejus exequi, desiderijs illius per omnia acquiescere, denique tenere cum obedientia & fidelitate eum amplecti. Ubi ergo consolationem aliquam spiritualem recepimus, danda eo die opera est, ut in bonis operibus faciendis, nosque humiliando, solito simus diligentiores.

Quinto: Præterea id genus suavitatibus, teneritudinibus, & consolationibus subinde renuntiare nos oportet, cor nostrum ab illis avocando, & affirmando, quod, quamvis illas cum humilitate recipiamus, & adeo illas caras habeamus, quod a DEO veniant, & ad eum amandum nos provocent; tamen non tam eas, quam DEUM & Sanctum amorem ejus quæramus, non tam consolationem, quam consolatorem ambiamus, non tam dulcedinem, quam dulcem Salvatorem, non tam teneritudinem, quam eum, qui cordi simul & terræ delictum est. Et hoc in affectu, statuamus firmi & constantes in sancto DEI amore perseverare, nec eum unquam dimittere; esto quamdiu vivimus, nullam unquam sentire consolationem & dulcedinem deberemus; & æque, tam in monte Calvariæ, quam in Thabor, dicere: Bonum est, me esse tecum Domine, sive in cruce moriaris, sive gloria refulgeas.

Sexto: Hoc demum te monitam volo, ut, si notabilis quædam hujusmodi consolationum,



num, teneritudinum, lachrymarum, & suavitatum abundantia te circumflueret, aut extraordinarium quid in illis tibi accideret, fideliter id directori & conductori tuo aperias, ut discas, & intelligas, quo in iis modo te gerere, & quam moderate procedere debeas. Scriptum est enim: *Invenisti mel! quantum tibi satis est, ex eo comede.*

## CAPUT XIV.

*De spiritualibus ariditatibus, & sterilitatibus:*

**C**UM ergo consolationibus perfunderis, Philothea, id, quod jamjam consului, & præscripsi, tibi erit observandum: at amica & optabilis illa serenitas non diu durabit, quin contra ita te continget nonnunquam omni devotionis sensu privari, & destitui, ut animam tuam ceu desertum inferax, sterile quoddam ericetum esse putatura sis, in qua nulla vel semita, vel via ad DEUM inveniendum appareat, neque ulla gratiæ aqua, a qua irrigetur, idque ob nimias ariditates, quæ eam totaliter silvescentem & incultam reddituræ videntur. Eheu! quam anima hæc, quæ hoc in statu versatur, digna compassione est, & maxime, cum malum hoc vehemens & intensum est! tunc quippe ei, ad imitationem Davidis, lachrymæ sunt panis die ac nocte; interim dum inimicus sexcentas per suggestiones,

nes, quo eam ad desperationem adigat, ei insultat, dicens: Misella, ubi est DEUS tuus? qua eum via invenies? quis reddet tibi sanctæ illius gratiæ lætitiã!

Quid ergo illo in tempore facies, Philothea mea? Nota, & vide, undenam malum ortum suum habeat? sæpe namque ipsimet nostrarum sterilitatum, & ariditatum causa sumus.

Primo: Sicut mater tum puello suo saccharum dare renuit, dum eum lumbricis & vermicibus obnoxium novit: sic sæpe tunc nobis DEUS consolationes aufert, cum vane in iis nobis complacemus, & arrogantia ac vanæ gloriæ vermes ex illis excrescunt. Bonum, Domine, quia humilias me vere, nam antequam humiliarer, te offenderam.

Secundo: Cum suo in tempore amoris Divini suavitates colligere negligimus, tunc ipse, in negligentia nostræ castigationem, a nobis recedit, ac se subducit. Israëlitæ, qui summo mane colligere manna negligebant, sole jam exorto, ipsum colligere non poterant: tunc quippe liquefactum velut cera diffuserat.

Tertio: Nonnunquam in sensualium deliciarum, & periturarum consolationum lecto molliter recumbimus, uti Sacra illa Canticorum Sponsa; & ecce! animarum nostrarum sponsus, ad cordis nostri januam pulsat, nobis in-

spi-

spirans, ut spiritualia exercitia nostra resumamus: nos vero ei aperire tergiversamur, quod permolestum nobis sit, vanas illas recreationes amittere, & falsis illis delectationibus nuntium remittere, unde ipse, velut indignabundus pertransit, nosque in nostra miseria agere, & reperere sinit: hinc cum dein rursus quærere eum volumus, non nisi post summam difficultatem eum invenire possumus. Et certe non immerito; quod in illius amore ita infidi & perfidi fuerimus, ut, quo rebus mundanis frueremur, illum exercere noluerimus. Habes itaque farinam Ægyptiam, quamobrem manna cœlicum non habebis. Odores compositos & artificiales apiculæ fugiunt, & abhorrent: sic Spiritus Sancti suavitates cum adulterinis mundi deliciis simul nequeunt consistere.

Quarto: Ipsa duplicitas spiritus, & subdola in confessionibus, & communicationibus spiritualibus cum animæ directore factis procedendi ratio ariditates, & sterilitates causatur: cum enim Spiritui Sancto mentiaris, mirum certe non est, suam illum tibi denegare consolationem, non vis esse simplex, & sincerus ad instar parvuli? parvulorum ergo saccarum tibi non dabitur.

Quinto: Mundanis ad os usque recreationibus, & voluptatibus repletus es; minime ergo mirum, spirituales tibi delicias desipere.



Asinus satur, ut proverbio dicitur, non est carduos, & ventri pleno desipiunt tragemata. *Esurientes*, ait B. Virgo, *replevit bonis, & divites dimisit inanes*; & qui voluptatibus mundanis pleni & saturi sunt, spiritualium minime sunt capaces.

Sexto: Si receptarum consolationum fructum sedulo conservaris, novas mereberis recipere. Habenti enim omni dabitur, ab eo autem, qui, quod recepit, non habet, sed sua id culpa amisit, etiam id auferetur, quod non habet; id est, gratiis, quæ ei præparatæ erant, privabitur. Pluvia, uti videmus, plantas adhuc virentes vivificat, at non virentibus, & virorem non habentibus, illam quoque vitam aufert, quam non habent, etenim per illius humorem penitus computrescunt.

Ob tales, & alias id genus causas, non paucas internas mentis consolationes amittimus, & in spiritus ariditatem, & sterilitatem incidimus. Examinemus itaque conscientiam, num hujusmodi in nobis defectum aliquem notemus? At noris, charissima Philothea, non esse hoc examen aliqua cum inquietudine, & nimia curiositate instituendum, at, postquam omnes nostros nutus & actus, quoad hoc fideliter excusserimus, si mali hujus causam in nobis ipsis consistere deprehenderit, gratias DEO agamus; tunc quippe malum nostrum media est ex parte curatum, cum ejus cau-

causa deprehensa est, & patuit: At si contra nihil in particulari notas, ac deprehendis, quod hujus ariditatis tibi causa fuisse videatur, ulterius in ea curiosius inquirenda progredi noli; sed, omni cum candore, & sinceritate, sine ulteriori particularitatis alicujus indagine, facito, quod tibi hic præscribam.

Primo: Quam potes maxime coram DEO te, in nihili & miseræ tuæ cognitione, humilia. Ah! quid sum, Domine, cum ea sum? non aliud certe, quam terra arida, quæ omni ex parte rimas agens, satis ostendit, quam pluvia cœlesti opus habeat, eumve sitiât, & interea ventus eam dissipat, & in pulverem redigit.

Secundo: DEI opem invoca, ejusque lætitiâ exposce. *Redde mihi lætitiâ, Domine, salutaris tui. Pater, si possibile est, transfer a me calicem istum.* Surge aquilo infructuose, qui animam meam arefacis; & veni suavissime consolationum Zephyre, perfla hortum meum, & boni affectus ejus odorem suavitatis afflabunt.

Tertio: Confessarium tuum adi, & animum tuum plane ei aperi, omnes illius recessus, & sinus illi detegendo; ea, quæ tibi suggeret consilia, gratanter admitte, idque quam maxima potes sinceritate, & humilitate. DEUS quippe, qui obedientiam summopere diligit, & caram cumprimis habet, sæpe

facit : ut quæ ab aliis suggeruntur consilia, & imprimis ab animarum directoribus, esto alias non magnopere in se utilia videantur, fructuosa evadant ; sicuti Naaman Syro aquas Jordanis salutare reddidit, quarum ei Heli-fæus, esto ratio humana reclamare, & aliud suadere videretur, usum præscripserat.

Quarto : Nihil porro in hujusmodi ariditatibus, & sterilitatibus utilius, fructuosius nihil, quam contentiose, & efflictim non desiderare, ut ab iis liberemur : non quasi non possimus simpliciter desiderare, ab iis liberari, sed non perditæ, & magna contentione : quod in specialem DEI providentiam nos resignare debeamus, ut, quamdiu placuerit, nostra ille opera has inter spinas, & intensa desideria utatur. Illi ergo in tempore dicamus : *Pater mi, si possibile est transfer calicem hunc a me !* sed, simul magna cum generositate, & resignatione addamus : *Verum tamen non mea, sed tua voluntas fiat : & quam possumus maxima animi quiete in hoc nos detineamus.* DEUS quippe sanctam hanc nostram indifferentiam videns, per plurimas nos gratias, & favores consolabitur : sicuti, dum Abrahamum Patriarcham jam paratum, & resolutum ad filium suum Isaac immolandum vidit, satis ei fuit, puram hanc in ipso resignationem, & indifferentiam vidisse ; unde suavissima dein visione, & dulcissimis benedictionibus



nibus eum est consolatus. Itaque in omni afflictionum tam corporalium, quam spiritualium genere, & in ipsis sensibilis devotionis subtractionibus, & distractionibus, quæ nobis subinde contingunt, ex toto nos corde, & profunda quadam cum nostri ipsorum submissione dicere oportet: *Dominus dedit mihi consolationes, Dominus easdem mihi abstulit, sit sanctum ejus nomen benedictum*: si enim in sancta hac humilitate perseveremus, consolatorias suas gratias nobis reddet; sicuti olim Jobo, qui in omnibus afflictionibus suis id genus verba assidue constantetque repetebat, eas restituit.

Quinto: In omnibus ariditatibus, & sterilitatibus nostris animum non despondeamus, Philothea, sed patienter expectantes, usque quo consolationes redeant, solitum nostrum agendi modum semper retineamus, neque ullum illarum causa devotionis exercitium omitamus; imo, si fieri potest, bona opera nostra inaugeamus, & multiplicemus, & cum tragemata, & salgama liquida charissimo sponso nostro dare nequeamus, demus arida, perinde enim id ei est, dummodo cor, a quo hæc illi offeruntur, perfecte sit ad illum amandum paratum, & resolutum. Si quando amœnum, & gratum est ver, plus apes mellis progignunt, & apiculas pauciores: nam sereniore illa aura illectæ, usque adeo mellis per

per flores collectioni incumbunt, ut nymphularum suarum productionis propemodum obliviscantur: at, ubi ver immitte, & acre est, nymphulas plures, mellis minus conficiunt: quod enim ad mellilegium foras provolare nequeant, sui ipsarum multiplicationi, stirpisque conservationi sese applicant. Sic sæpe fieri videmus, Philothea; ut, cum anima se in amœno consolationum spiritualium vere agere videt, ita eisdem colligendis, & exsugendis incumbat, ut in suavium deliciarum suarum abundantia pauciora multo bona opera faciat; & e contrario, mediis in ariditatibus, & sterilitatibus spiritualibus, cum se suavibus devotionis sensibus privatam videt, solita pietatis opera eo magis multiplicat, & in interiore verarum virtutum, puta patientiæ, humilitatis, sui ipsius abjectionis, resignationis, & amoris proprii abnegationis, generatione, productioneque abundantior est.

Errant ergo multi, & præsertim fœminæ, gravissime, dum putant, id quod DEO sine cordis teneritudine, & sensu impendimus obsequium, Divinæ illius Majestati minus gratum esse: cum e contrario, actiones nostræ sint ad instar rosarum, quæ cum recentes sunt, plus quidem præferunt elegantix, & nitoris, at cum arefactæ, plus odoris, & virium exerunt: pari modo, esto opera nostra in sensuali cordis teneritudine facta nobis sint gratiora  
ma-

magisque placeant ( nobis, inquam, qui non nisi propriam delectationem, & recreationem spectamus ) in ariditate tamen, & sterilitate obita plus in DEI conspectu odoris, valoris continent. Vere Philothea, cum in tempore ariditatis nostræ nos voluntas velut vi quadam compulsos abripiat ad DEO serviendum; necesse proinde est, magis ea hinc vigoris, & constantiæ præferat, quam in tempore tenerritudinis, & consolationum. Multum certe is non præstat, qui tempore tranquillo, & medias inter aulæ oblectationes Principi famulatur; at vere is se constantem, & fidem erga eum ostendit, qui durissimo belli tempore, medios inter tumultus, & persecutiones ab ejus obsequio non recedit. Unde B. Angela de Fulgino, illam DEO orationem dicebat acceptissimam esse, quæ vi, & coacta fit, id est, ad quam nos non tam propter gustum aliquem, quem inde habere speramus, neve ex affectu, & inclinatione erga eandem, sed pure ad DEO placendum applicamus; quo nostra nos voluntas velut invitos, & coactos impellit, ariditates, & repugnantias in hoc occurrentes fortiter perfringens, & superans. Idem de reliquis omnibus bonis operibus censeo: quo enim majores in iis obeundis contradictiones ac repugnantias, tam exteriores, quam interiores sentimus, eo illa pluris a DEO fiunt, majoremque mercedem habebunt.

Quo



Quo in virtutum prosecutione, & exercitio minus proprii commodi a parte nostra apparet; eo divini amoris puritas magis in ipsa re-  
lucet, tunc matrem puellus nullo negotio osculatur, cum hæc illi saccarum dedit, sed, si post datum absinthium, & amarulentiam, nihilominus eam osculetur, signum est, magno hunc in illam amore ferri.

## CAPUT XV.

*Superiora illustri quodam exemplo confirmantur, & illustrantur.*

**V**erum ut omnis hæc doctrina fiat evidentior, & manifestior, quandam hic e vita S. Bernardi historiæ partem visum est adscribere, quam in docto æque ac prudenti scriptore reperi, sic igitur ea habet: omnibus prope DEO primum servire incipientibus, & qui nondum per experientiam edidicerunt, quid sint illæ gratiæ subtractiones, ac vicissitudines spirituales, ordinarium, & solenne est, ut, sensibilis devotionis sapore, & gustu, nec non jucundo illo lumine, quod, ut in via Domini festinent, ipsos invitat, & allicit, ipsis deficiente statim animo penitus cadant, pusillanimes fiant, & quandam cordis tristitiam sentiant. Cujus rei hæc a peritis spiritualium redditur ratio, quod natura prædita diu famem pati, & diu sine  
ali-

aliqua delectatione cœlesti æque ac terrena, vivere nequeat. Porro, sicut animæ, quæ per superiorum delectationum experimentum & sensum super se evectæ sunt, visibilia objecta nullo negotio contemnunt; ita, dum divina providentia sic disponente, gaudium spirituale ab illis aufertur; hinc, quod ex una parte nullas consolationes terrenas habeant, ex alia vero nondum longo usu didicerint, veri solis reditum in patientia expectare, ipsis videtur, quod nec in cœlo nec in terra agant, & perpetua quadam in nocte, velut sepultæ, mansuræ sint: unde ad instar parvulorum ab-lactatorum, a suis uberibus avulsæ, languent, dolent, gemunt, molestæ, & importunæ redduntur, ac maxime erga seipsas. Hoc ergo, eo in itinere, de quo hic loquor, contigit cuidam e comitibus nomine Ganfredo Peronen-si, qui non ita pridem DEI sese obsequio manciparat. Hic ergo derepente redditus aridus, consolatione spirituali destitutus, & tenebris interioribus obseptus, in memoriam sibi reducere incœpit, amicos, quos in mundo habuerat; consanguineos item, & facultates, quas jam nuper repudiarat, unde tam gravis eum tentatio cœpit invadere, ut eam exteriori vultus, & corporis compositione celare non posset, amicorum ejus intimus illam facile perceperit, unde blando sermone, & compellatione in ejus se colloquium insinuans,

in

in aurem ei infusurravit. Quid hoc est Ganfrede frater? cur, præterquam soles, ita cogitabundus, & contristatus es? Cui Ganfredus, alto ex animo ductis suspiriis, nunquam, inquit, quoad vivam, perfecte lætabor frater. Alter hæc audiens sortem ejus miseratus, & fraterno motus zelo, communem utriusque patrem adiit S. Bernardum, rem omnem ex ordine ei referens. Bernardus Ganfredi viso discrimine, proximam est Ecclesiam ingressus, quo DEUM pro ipso deprecaretur. Interea Ganfredus tristitia cor ejus premente, & obsidente, caput in lapidem reclinans, obdormivit. Non multo post uterque surrexerunt, ille ab oratione votorum factus compos: hic a somno, sed facie adeo hilari, & ad lætitiã composito, ut amicus ille ipsius tam evidentem, & repentinam in eo mutationem miratus, non potuerit eum non amice reprehendere ob ea, quæ paulo ante sibi dixerat. Tum Ganfredus, si ante paulo nunquam me quoad vivam gavisurum dixi, jam contra assero, nullam me unquam post hæc tristitiã sensurum.

Is fuit tentationis pii hujus viri eventus: qua in historia notare te velim, Philothea mea, primo DEUM, ut plurimum iis, qui obsequio suo primum se dedicant, quendam cœlestium deliciarum prægustum & promulsi- dem dare solere, quo eos, & a terrestribus



voluptatibus avocet, & ad Divinum amorem  
consectandum extimulet; sicuti mater, quo  
parvulum suum ad ubera sugenda pelliciat,  
papillas illice melle illinere consuevit. Se-  
cundo, hunc ipsum bonum DEUM subinde  
pro sapienti dispositione & providentia sua,  
consolationum nobis lac & mel auferre, ut  
hac ratione velut ablaetati aridum & solidio-  
rem virilis cujusdam devotionis, quæ spiri-  
tuales desipientias & tentationes ferre didice-  
rit, panem comedere assuescamus. Tertio,  
nonnunquam vehementes quasdam tentatio-  
num tempestates, medias inter ariditates &  
sterilitates exoriri solere: ac tum viriliter  
contra has ipsas decertandum esse, neque a  
DEO eas proveniunt ariditates: tamen magna  
sunt cum constantia & genereose ferendæ,  
quod ad nostri exercitium DEUS nobis eas  
immittere soleat. Quarto, non debere nos  
unquam, quantumvis interna tædia & pressu-  
ræ intensa sint, prorsus animum abjicere, nec  
cum Ganfredo illo dicere: *Nunquam exinde  
ullam amplius letitiam sentiam*: siquidem tene-  
brosa durante nocte expectanda lux est, &  
vice versa quantumlibet pura serenitate spiri-  
tus gaudeat, nunquam dicere, debere: *Nun-  
quam contristabor, nec animum contraham*, quia,  
ut monet Sapiens, in die bonorum non de-  
bemus immemores esse malorum; in adversis  
& laboribus semper speranda meliora; in  
pro-

prosperis vero timendum, unde tam in illis, quam in his, nos coram DEO humiliare debemus. Quinto, singulare cum primis remedium esse, amico cuiusdam spirituali, a quo solatium & subsidium expectemus, morbum & malum, quo premimur, detegere.

Denique ut huic doctrinæ adeo necessariae finem imponam, hoc animadverti, quemadmodum omnibus in rebus, ita & in his, DEUM Opt. Max. & cacodæmonem inimicum nostrum diversa prorsus spectare, & discrepantes intentiones habere. DEUS quippe per has ad insignem cordis puritatem, ad totalem proprii nostri commodi, quantum ad obsequium ipsius attinet, abnegationem, ad perfectam nostri ipsorum renuntiationem nos conatur perducere; at diabolus ad hoc conatur, ut animum nos despondere, & ad sensuales delectationes propendere, & inclinare faciat, denique tam nobis ipsis, quam aliis molesti & tædiosi simus: ut hac ratione sancta devotio traducatur, & infametur. *At si,* quæ tibi tradidi documenta, observes, perfectionem tuam, in eo, quod durantibus hisce afflictionibus internis facies, exercitio maxime inaugebis. Antequam vero huic tractatui finem imponam, unum hoc addam, nimirum ipsas ariditates, sterilitates, & tædia spiritualia interdum ab ipsa corporis indispositione ortum habere, uti dum quis ob nias


mias vigilias, labores, jejunia exhaustus, defatigatione, languido corpore, capitis gravedine, & aliis id genus infirmitatibus oppressus gemit; quæ licet proprie a corpore dependeant, spiritui tamen & animo, quod summa sit inter utrumque conjunctio, & vinculum, etiam nocent. Hoc ubi contingit, meminimus semper, plurimos virtutum actus, spiritus & voluntatis superioris adminiculo, exercere: nam esto universa anima nostra dormire, & sopore & lassitudine penitus oppressa videatur, non tamen ideo spiritus nostri actiones DEO quam maxime placere desinunt. Ideoque tunc temporis cum Sponsa Sacra dicere possumus: *Ego dormio, sed cor meum vigilat.* Et quemadmodum supra monui, licet hoc in exercitio, & sic faciendo, minus saporis & gustus sentiamus, plus tamen in eo meriti est, & virtutis majoris occasio. Sed optimum tum remedium est, legitima aliqua recreatione, & oblectatione honesta corpus revigorare, & sibi quodammodo restituere. Quapropter S. Franciscus ita fratres suos laboribus & austeritatibus corporalibus voluit incumbere, & talem in iis moderationem adhibere, ut per easdem spiritus fervorem & vigorem non adobruerent.

Et hinc ipse generosus Pater Franciscus (quod optime huic meo proposito quadrat) tempore quodam tam gravi fuit spiritus tristitia,



stitia, tædio, & melancholia obrutus, ut non posset illam exterius non prodere: si enim cum Religiosis suis conversari volebat, minime ad hoc se inducere poterat; si ab iis se subducebat, malum suum & tædium tunc sentiebat in augeri: abstinencia, & carnis maceratio spiritum obruebant; nullum denique oratio ei dabat alleviamentum. Biennio toto hoc in statu egit, adeo, ut plane a DEO suo derelictus videretur: sed tandem, postquam magna animi humilitate gravem hanc concussionem, & vexationem pertulisset, optatam animi serenitatem & quietem in momento ei Dominus restituit. Quod ideo retuli, ut hinc appareat, etiam maximos & singulares DEI famulos id genus vexationibus, & afflictionibus interdum exagitari, ac proinde minores mirari non debere, si subinde in hujusmodi amaritudines, & desolationes spiritus incidant.





# INTRODUCTIONIS PARS QUINTA.

*Ea complectens exercitia, & mo-  
nita, quæ ad animam renovandam, &  
in devotione confirmandam conducunt.*

## C A P U T I.

*Bona proposita per sequentia exer-  
citia singulis annis sunt renovanda.*



**P**rimum exercitiorum horum pun-  
ctum circa hoc versatur, ut co-  
gnoscamus; & noverimus quan-  
ti illa sint momenti. Etenim  
natura nostra humana, ob car-  
nis nostræ fragilitatem, & in malum inclina-  
tionem, quæ nimirum animam aggravat, &  
illam semper ad inferiora vergere facit, nisi  
illa quadam bonorum, quæ concipit, proposi-  
torum violentia sæpe se in altum efferre co-  
netur, facili negotio bonos suos affectus ob-  
liviscitur, & ab iisdem decedit; quemadmo-  
dum

dum & aves statim in terram delabuntur, nisi alarum suarum libramenta, & motus, ut hac ratione volare pergant, identidem iterent ac multiplicent. Quapropter necesse est, charissima Philothea, bona, quæ ad DEO serviendum fecisti proposita, sæpe repetere, & subinde renovare; ne forte, si id facere negligas, ad priorem statum tuum, aut alium etiam multo pejorem, relabaris: nam spirituales lapsus ut plurimum ad inferiorem ac profundiorum ejus locum dejiciunt, quam erat is, ex quo ad devotionem alias ascendimus. Nullum est horologium, quantumvis bene libratum, quod non bis quotidie, mane nimirum, & vesperi, intendi & restitui ponderibus suis debeat: necesse præter hoc est, ut ad minimum semel in anno ipsum penitus, & per omnia membra dissolvatur, ad rubiginem, si quam contraxit, auferendam; ferramenta, si laxata confractaque, restituenda, & ea, quæ continuo usu detrita sunt, restauranda. Pari modo quisquis sedulo carum suum cor curare vult, & vere de eo sollicitus est, mane & vesperi in DEUM illud per ea, quæ supra notavi, exercitia debet intendere, præterea statum illius sæpius examinare, ipsum restituere; denique saltem semel in anno illud quodammodo per partes dissuere, ac dissolvere, & eas singulas accuratius inspicere, omnes, inquam, illius affectiones,

&



& passiones, ut, quotquot in eas irrepsere, defectus restauret ac reparet. Et sicuti horologus unguine quodam tenuissimo, & molliissimo omnes horologii sui rotas, foramina, vertebrae, & mobilia inungit; ut motus illius fiat suavius, & minus rubiginem ferramenta contrahant; sic devotus, postquam cor suum hoc pacto per partes excusserit, & inspexerit, quo bene ipsum renovet, Sacramentis Confessionis, & diviniſſimæ Eucharistiæ illud oportet inungat. Hoc quippe exercitium vires tuas diuturnitate temporis non nihil collapsas restituet, & revigorabit, animum calefaciet, ac bona tua proposita revirescere, & spiritus tui vires faciet reflorescere.

Prisci Christiani ipso, quo Salvatoris nostri JESU Christi baptismus anniversaria celebritate in Ecclesia recolitur, die hoc facere quam diligentissime solebant: tum quippe, ut S. Gregorius Nazianzenus testatur, professionem & protestationes hoc in Sacramento fieri solitas solenni ritu renovabant. Idem & nos faciamus, charissima Philothea, quam lubentissime ad hoc nos prius disponentes, & dein quam diligentissime hoc exercitium obeuntes.

Postquam ergo, ex Patris tui Spiritualis præscripto, conveniens, & idoneum ad hoc tempus delegeris, ac solitudinem, sive spirituales, sive etiam realem, majorem solito colere jam decreveris, super sequentia puncta,

cta, juxta modum & methodum, quam in secundi libri parte tibi præscripsi, unam, duas, five etiam tres meditationes institues.

## CAPUT II.

*Expenditur, quantum DEI sit beneficium, quod nos ad suum servitium vocarit, juxta protestationem superius positam.*

**C**ONsidera primo: Protestationis tuæ puncta. Primum est, quod peccatum mortale in perpetuum deserueris, rejeceris, detestatus sis, & renuntiaris. Secundum, quod animam, cor, corpus tuum, & quidquid ad illa ullo modo pertinet, DEI amori, & obsequio dedicaris, & consecraris. Tertium, quod si forte in aliquod opus malum te contingeret labi, mediante DEI gratia quamprimum resurgeres. An non hæ pulchræ, justæ, dignæ, & generosæ sunt resolutiones, & proposita? Intra temetipsam ergo cogita, quam hæc protestatio sancta, rationi consentanea, & optabilis sit.

Secundo considera: Cuinam hanc sponsionem, & protestationem feceris. DEO, inquam; si enim sponsio æqua, & cum ratione coincidens homini facta ad fidem præstandam, & liberandam nos obligat, quanto magis illa, quæ facta est DEO? dicebat David: *Tibi dixit cor meum; eructavit, cor meum verbum bonum tibi, non obliviscar tui in eternum.*

Ter-

Tertio perpende: Coram quibus sponsionem hanc feceris; videlicet coram universa curia cœlesti, etenim Beatissima Virgo, Sanctus Joseph, Angelus tuus Custos, S. Ludovicus Rex, omnis illa Beatorum multitudo te intuebantur, & super verba tua spiritum gaudii & approbationis aspirabant, & ineffabilis cujusdam amoris oculis, cor tuum coram Salvatoris JESU pedibus prostratum, quod illius sese obsequio mancipabat, respiciebant. Unde peculiari quodam gaudio omnes cœlestis Jerusalem cives tunc plaudebant, & exultabant; cujus ipsi hodie etiam commemorationem, & memoriam facient, si sincere, & ex corde bona tua proposita renoves.

Quarto considera: Quibus protestationem tuam modis feceris. Quam ergo tibi DEUS Opt. Max. illo in tempore benignus fuit? sed dic mihi in veritate, an non dulcibus Spiritus S. provocationibus & invitationibus ad hoc faciendum pellecta fuisti? an non funes, quibus cymbulam tuam DEUS ad salutarem hunc portum attraxit, fuere amoris & charitatis? quomodo Divino saccaro suo, Sacramentis, inquam, pia lectione, & oratione, ipse te adscavit, & allexit? Dormiebas, ah! Philothea mea, & Dominus super te excubabat, cogitationes pacis super cor tuum cogitabat, & meditationes amoris propter te meditabatur.

Quinto considera: Quo te DEUS tempore



ad singulares has resolutiones faciendas attra-  
 xerit, scilicet in ætatis tuæ flore. Hem! quan-  
 ta felicitas tempestive, & cito addiscere id,  
 quod non possumus scire, nisi nimis sero!  
 S. Augustinus cum anno ætatis trigesimo a  
 DEO vocatus esset, hoc modo exclamabat:  
*O antiqua pulchritudo! quam te sero cognovi? Eheu!*  
*videbam te, & tamen non considerabam te.* Tu  
 vero merito dicere poteris: O antiqua dulce-  
 do! cur te citius non gustavi, aut cognovi?  
 Et tamen, ne tum quidem forte eam nosse  
 promerebaris, ac proinde agnoscens, quan-  
 tam tibi DEUS gratiam, te a juventute tua  
 ad se trahendo, fecerit, dicito cum Davide:  
*DEUS docuisti, & illustrasti me a juventute mea,*  
*& usque nunc pronuntiabo misericordiam tuam.*  
 Sin autem in senectute tua te vocaverit, Phi-  
 lothea, gratia DEI est, quod postquam annos  
 tuos priores ita perperam & prave traduxisti,  
 nihilominus ante mortem tuam te vocaverit,  
 & miseræ tuæ cursum inhibuerit: tunc, cum  
 si in eodem ulterius perrexisses, in æternum  
 periisses misera, & miserabilis.

Sexto considera: Vocationis hujus effectus,  
 & reperies haud dubie egregias, & salutare  
 in te mutationes, si, quod modo es, cum eo,  
 quod olim fuisti, compares. An non felici-  
 tatis cujusdam in numero reponis, quod per  
 orationem cum DEO jam colloqui noris, quod  
 eum amandi desiderium ac propensionem ha-  
 beas,

beas, quod multas, a quibus oppugnaberis, & inquietaberis, passiones edomueris, & ad quietem composueris, quod permulta peccata & conscientiae turbam ita evitaveris, quod denique toties sacrae sis communionis facta particeps, & ad supremum aeternarum gratiarum fontem, unione quadam intima cum eo facta, accesseris? quod antea toties non fecisses. An non haec eximiae, & singulares quaedam gratiae sunt? quae pondere sunt sanctuarii ponderandae, Philothea: etenim manus Domini fecit haec omnia. *Dextera Domini, ait Psaltes, fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, non moriar, sed vivam, & narrabo corde, ore, & operibus mirabilia bonitatis ejus.*

Post omnes has considerationes, quae, uti vides, plurimos bonos & pios affectus suggerunt, cum gratiarum actione & ferventi quadam oratione, qua profectum nostrum inaugurari petamus, finiendum est, & summa cum humilitate, & in DEUM fiducia, inde surgendum; hoc observando ut propositorum renovationem & vim post secundum exercitium hujus punctum faciamus.

### CAPUT III.

*Animae nostrae status examinandus, & videndum, quem in vita devota progressum fecerit.*

SECUNDUM hoc exercitii punctum paulo longius est. Non autem id totum simul, &

continuato actu peragendum, sed per partes, & divisim; ut nimirum primo examines, quomodo te gesseris erga DEUM; secundo, quomodo erga teipsam; tertio, quomodo erga proximum; quarto denique, quomodo sese habeant passiones, & affectus. Opus præterea non est, uti nec expediens, ut flexo genu examen hoc instituas, nisi forte sub ejus initium, & in fine, cum de affectibus agitur. Alia ejus puncta utiliter facere potes obambulando, quin etiam utilius, in lecto decumbendo, si aliquantisper ibi insomnis agere, & vigilare possis: sed ut, prout oportet, id facias, ea ante diligenter prælegeris, necesse est. Requiritur tamen, ut totum hoc secundum punctum, ad summum tribus diebus, & duabus noctibus absolvas, ex unaquaque die & nocte horam aliquam, id est, aliquantum temporis, prout tibi commodum erit, & expediens, tibi seligendo. Si enim hoc exercitium non nisi temporibus valde disjunctis, & a se nimium remotis fieret, robur suum amitteret, & nimium languidas operationes ederet. Post singula examinis puncta notabis, qua in re te defecisse deprehendes, & ubinam erres, & impingas, & quæ præcipue impedimenta hactenus senseris, quo te deinde, ad consilium capiendum, propositum bonum faciendum, & spiritum tuum corroborandum, alteri declarare possis. Esto necesse non sit, ut quibus die-



diebus hoc exercitium & alia obibis, penitus & absolute te ab omni hominum conversatione sequestres: aliquo modo tamen ab illa te avoces oportet, maxime circa vesperam, quo & tempestivius cubitum concedere, & corporis æque ac spiritus quietem, considerationi pernecessariam captare queas. Per diem vero frequentes ad DEUM, Beatam Virginem, Angelos, & universos Cœli cives aspirationes identidem faciendæ sunt. Necessè denique est, ut omnia ex corde DEI, & perfectionis propriæ amante fiant. Ut autem examen hoc bene debitoque modo instituat.

Constitu te primo coram DEO. Secundo: Spiritus Sancti opem invoca, lumen, & claritatem ab eo, ad te ipsam cognoscendam, postulans, una cum Sancto Augustino, qui in spiritu humilitatis sæpe ad DEUM clamabat: *Domine, noverim te, noverim me.* Et cum Sancto Francisco, qui Dominum interrogabat dicens: *Quis es tu Domine? & quis sum ego?*

Protestare quoque, non ideo te profectum tuum inquirere, & notare nolle, ut intra te metipsam ob eum stolide tibi complaceas, & gaudeas, sed tantum, ut in DEO exultes; neque ut inde glorieris, sed gloriam omnem DEO adscribas, eique propterea gratias agas.

Protestare, te, si (uti præsumis) parum te profecisse, aut potius defecisse, & recessisse,

deprehendas, propterea animum nullatenus abjicere, vel per aliquam pusillanimitatem, aut inertiam nolle refrigerescere, imo contra, animum majorem te capere, magis te animare, teque humiliare, & mediante DEI gratia defectibus mederi velle.

Hoc facto, suaviter & tranquille considera, & examina, quomodo usque in præsentem horam, erga DEUM, proximum, & temetipsam te gesseris.

## CAPUT IV.

*Animæ status examinatur, quomodo se erga DEUM gesserit.*

**Q**uomodo est cor tuum erga peccatum mortale animatum? firmumne, & solidum propositum fecisti, ad nunquam ipsum, quacunquē demum de causa admittendum? Hoc cunctine propositum duravit jam inde a prima protestatione tua, usque ad tempus præsens? In hoc autem proposito vitæ spiritualis fundamentum consistit.

Secundo: Quo est cor tuum modo erga DEI mandata affectum? eane tibi videntur bona, suavia, grata? cujus, o filia! gustus bonus est, & stomachus salubris, bonos is cibos quærit, & noxios rejicit.

Tertio: Quo est cor tuum modo erga peccata venialia affectum? non possumus quidem  
pla-

plane iis carere: sed estne aliquod, erga quod speciali modo inclines? quod autem longe foret deterius, estne aliquod, erga quod affectu, & amore feraris?

Quarto: Qualiter est cor tuum erga exercitia spiritualia dispositum? eane amas, & magni facis? an non illa tibi tædiofa, & gravia sunt? non alieniore ab iis es animo? Erga quod magis aut minus propendes? Verbum DEI audire, vel legere, de DEO loqui, meditari, & ad eum aspirare, peccata confiteri, ad sacram se Communionem disponere, & eam adire, affectus reprimere; quidnam ex illis est, quod animo, & affectui tuo repugnet? Et, si quid deprehendas, erga quod cor tuum minorem inclinationem sentiat, examina, unde prava illa inclinatio, & aversio veniat, & quænam illius sit causa?

Quinto: Quale est cor tuum erga ipsum DEUM? ane gratum ei est, DEI sui recordari? an ex ejusdem recordatione singularem quandam percipit dulcedinem? *Memor, inquit Propheta, fui DEI mei, & delectatus sum.* Sentisne in corde tuo quandam ad DEUM diligendum facilitatem, nec non peculiarem quandam gustum in amore hoc degustando? An non gaudet cor tuum, & exultat, dum de DEI bonitate, immensitate, & dulcedine recogitat? num etiam, medias inter mundi occupationes & vanitates, DEI tibi memoria

non-



nonnunquam occurrat, & an tunc reliquæ cogitationes ei non cedant? num cor tuum ipsa occupet? num cor tuum in partem illius tibi videatur propendere, & ei quodammo- do obviam procedat? sunt quippe animæ, qui- bus hoc solenne, & commune est.

Si cujuspiam uxoris maritus e longa peregrinatione domum redeat, mox ut illa illius reditum percipit, & vocem audit, esto variis tunc occupationibus distineatur, atque etiam vehemens aliqua earum cogitatio, & reflexio mentem illius tum occupet; cor tamen ejus liberum retineri nequit, sed reliquas omnes cogitationes a se excludit, quod de marito cogitet. Simili modo animæ DEUM perfe- cte amantes, esto, dum DEI recordatio illis incidit, impeditissimæ per alia negotia sint, nihilominus ad reliqua omnia vix advertunt, & eorum sensum prope omnem amittunt, id- que præ gaudio, quod ex eo, quod amicam illam recordationem sibi rediisse vident, in animo sentiunt. Et est hoc valde bonum signum.

Sexto: Quale est cor tuum erga JESUM Christum DEUM & hominem? ane jucun- dum tibi est apud illum versari? Apes liben- ter apud, & circa mel agunt, & circa puti- scentia corpora crabrones: ad eundem mo- dum sanctæ piæque animæ gaudent apud Do- minum JESUM versari, tenerrimoque quo- dam

dam erga eundem amore feruntur, at improbæ, & negligentes vanitatibus interesse.

Septimo: Qualiter erga Beatam Virginem, Sanctos, & Angelum tuum custodem affecta es? valdene eos diligis? peculiaremne in favore illorum fiduciam ponis? placentne tibi eorum imagines, vitæ, & præconia?

Octavo: Quod ad linguam attinet, quo de DEO tuo modo loqueris? ane tibi jucundum, & placet bene de eo, pro conditione, & talento tuo loqui? voluptene tibi est hymnos & cantica spiritualia canere?

Nono: quoad opera cogita, num exteriorem DEI gloriam cordi habeas, & gaudio tibi sit, aliquid ad honorem ipsius facere: qui enim DEUM amant, una cum DEO domus illius decorem diligunt.

Vide, an notare possis, aliquem te propter DEUM affectum reliquisse, & rei alicui renuntiasse: etenim bonum amoris signum est, aliqua se re in gratiam illius, quem diligimus, privare, quid ergo propter DEUM hætenus deseruisti, & renuntiasti?

## CAPUT V.

*Examinatur animæ status erga seipsam.*

**P**rimo: quomodo amas teipsam? an non plus æquo propter hunc mundum te amas? Id si fiat, semper in eo remanere desideras,

&

& summa contentione conniteris, ut hac in terra rem tuam constabilias: at si te ames propter cœlum, desiderabis, aut saltem facile annues, nec abnues hinc excedere eo tempore & hora, quo DEO te videbitur ex hac vita & mundo educere.

Secundo: rectumne in amore tui ordinem servas? nam per solum inordinatum nostri ipsorum amorem destruimur. Porro ordinatus amor exigit, ut plus animam diligamus, quam corpus, plus virtutibus, quam alteri rei cuiquam comparandæ insistamus, majorem denique honoris cœlestis, quam terreni, & caduci rationem habeamus. Cor bene recteque ordinatum sæpius intra semetipsum dicit: Quid dicent Angeli? si tali de re cogitent; quam, quid de eo dicent homines?

Tertio: quomodo cor tuum diligis? an non grave tibi est, illi in suis ægritudinibus inservire? illi succurrere, eheu! & ut ei succurratur curare teneris, quando ipsum suis a passionibus exagitur, & opprimitur, & propterea cætera omnia negligere.

Quarto: quam te coram DEO facis? nihil certe, neque enim magna est in musca humilitas, quod sese intuitu montis nihili faciat; uti nec in aquæ guttula, quod parvi se ducat cum Oceano comparata; uti nec in scintilla, quod pro nihilo se reputet cum sole collata. Verum in hoc sita humilitas est, quod aliis  
nos



nos minime anteponamus, aut digniores æstimemus, imo nec aliis anteferri velimus, quomodo vero hac in re te gessisti?

Quinto, quoad linguam: an non hac re te iactas, aut alia? an non, dum de teipsa sermo incidit, tibi met adularis, & plaudis?

Sexto, quoad opera: an non recreationes eas confectaris, quæ valetudini tuæ contrariæ sunt, & noxiæ? recreationes, inquam, vanas, & inutiles; item nimias vigilias sine causa, & alia id genus.

## CAPUT VI.

*Examinatur animæ nostræ status erga proximum.*

**A** More dulci, tranquillo, forti, constanti, & continuo, & quidem ante & super omnia, amandus est maritus & uxor, quod hunc DEUS amorem præcipiat, & id fieri iubeat. Idem de prolibus, cognatis, & consanguineis, quin & amicis, pro graduum & ordinum proximitate, dicendum est.

Sed, ut in genere loquar, qualiter cor tuum, erga proximum dispositum & affectum est? amasne illum toto ex corde, & quidem propter DEUM? Quod, ut bene internoscas, tibi proponas oportet quosdam valde tetricos, morosos, & molestos. Erga hos namque ipse in proximum amor exercetur; & magis ad-

huc erga eos, qui malum nobis faciunt, & inferunt, sive factō id fiat, sive verbis. Vide, & examina, num cor tuum quoad illos nullius sit culpæ consciū, & num magnam in illis diligendis intra te ipsam repugnantiam & contradictionem sentias.

Esne proclivis, & facilis ad sinistre de proximo loquendum, atque inprimis de iis, qui te non diligunt? num proximo, sive directe, sive indirecte, damnum, aut injuriam ullam infers? dummodo vel parum rationis & iudicii habeas; statim id advertes.

## CAPUT VII.

*Examinantur animæ nostræ affectus.*

**P**uncta hæc, in quorum examinatione spiritalis, quem fecimus, profectus cognitio sita est, sic explicando diffusius extendi: Nam quod ad examen peccatorum spectat, id proprium est eorum, qui de progressu in spiritu non admodum solliciti sunt, dum confessionem instituere volunt.

Non est porro necesse, ut anxie in singulis his articulis disquirendis nos torqueamus; sed suaviter hoc examen fiat; considerando, quo in statu cor nostrum quoad illa, jam inde a postrema nostra resolutione & proposito fuerit: & quosnam notabiles defectus in ipsis commiserimus.

*Sed*

Sed ut omnia illa velut in compendium redigantur, examen hoc solum circa passionum nostrarum statum institui potest. Et si forte grave & molestum nobis sit, ita singillatim omnia (uti dictum est) excutere, & considerare, sic nos examinare possumus; quales fuerimus, & qualiter nos gesserimus.

In amore nostro, erga DEUM, proximum, & erga nos ipsos.

In odio nostro, erga peccatum, quod in nobis reprehendimus, & erga id, quod in aliis apparet: nam tam hujus, quam illius exterminationem velle debemus.

In desideriis nostris, quibus aut facultates, & opes, aut voluptates, aut honores habere desideramus.

In timore periculorum peccati, & jacturarum bonorum hujus mundi, si nimirum plus æquo hujus jacturam timuerimus, & illius æquo minus.

In spe, fortasse plus æquo in hoc mundo, & in creaturis, & minus in DEO, ac rebus æternis collocata.

In tristitia, si ea nimia fuerit propter res vanas & transitorias.

In gaudio, si nimium id fuerit, & pro rebus indignis, ob quas gaudeamus.

Quales demum affectus cor nostrum præpediant, quæ ipsum passiones occupent: in qua potissimum defecerit, aut impegerit.



Ex animæ namque passionibus de illius statu optima fieri potest conjectura, unam post aliam inquirendo, & excutiendo. Nam sicuti fidicen omnes testudinis suæ chordas digitis explorans, eas quas dissonas, & discrepantes reperit, reliquis attemperat, illas vel intendendo, vel remittendo; sic si postquam amorem, odium, desiderium, spem, tristitiam, gaudium animæ nostræ exploravimus, eas pro carmine, quod modulari volumus, gloriæ, inquam, DEI, dissonantes comperiemus, mediante illius gratia, & bono Patris nostri spiritualis accedente consilio, ad concordiam & harmoniam adducere poterimus.

## CAPUT VIII.

*Affectus quidam sunt post examen hoc excitandi.*

**U**bi ergo leniter, & suaviter unumquodque examinis punctum jam examinaveris, & quomodo in singulis constituta fueris deprehenderis, affectus hoc modo excitabis.

Gratias age DEO de aliquantula illa emendatione, quam in vitæ tuæ statu jam inde ab ultimo tuo proposito deprehendisti, & fatere, solum misericordiæ illius eam adscribendam esse, quam in te, & pro te, ea est operata.

Valde te coram DEO humilia, & agnosce, quod si forte non multum progressa fueris, ex tuo id defectu, accidisse; eo quod nec fideliter,

liter, nec generose, nec constanter iis, quas tibi tum in oratione, tum alibi dedit, inspirationibus, illustrationibus, & nutibus responderis.

Promitte, te in perpetuum, illum ob præstitas tibi gratias ac misericordias, ut te ex inclinationibus tuis ad aliquantulam hanc emendationem perduceret, deprædicaturam.

Veniam illum roga, quod tam infidam, & perfidam te in illius inspirationibus respondendo exhibueris.

Offer illi cor tuum, ut plenum ipse in id sibi jus, & imperium vendicet.

Illum ora, ut exinde te per omnia fidelem faciat.

Sanctorum, Beatæ Virginis, Angeli Custodis, Patroni tuî, B. Josephi, & aliorum patrocinium implora.

## CAPUT IX.

*Considerationes quædam ad bona nostra proposita renovanda accommodæ proponuntur.*

**P**ostquam examen hoc debite peregisti, & cum perito prudentique consultore de defectibus tuis, deque eorum remediis consulisti, sequentes considerationes usurpabis, & quidem singulis diebus unam, per modum meditationis, dedicatum orationi tuæ tempus ei impendendo, & dedicando, & quidem ean-

dem semper methodum, quoad præludia, & affectus servando, quam in primæ partis meditationibus adhibuisti, & secuta es. Ante omnia porro in DEI præsentia te constituendo, illius gratiam implorabis, ut te in sancto ejus amore, & obsequio constabilias, & solidas.

## CAPUT X.

*Consideratio prima de animarum nostrarum dignitate.*

**P**ERpende animæ tuæ dignitatem, & eminentiam, utpote quæ intellectum habet, qui non solum mundum hunc visibilem, quantus, quantus est, cognoscit, verum etiam novit, & intelligit, & Angelos, & cœlum, adhæc & DEUM esse, eumque supremum, optimum, ac ineffabilem; item æternitatem esse; insuper quidnam ad bene in visibili hoc mundo vivendum, ad Angelorum in cœlo contubernium acquirendum, DEOque in æternum fruendum necessarium est.

Habet præterea anima tua voluntatem plane liberam, & nobilem, utpote quæ DEUM amare potest, & eum in seipso non odisse. Vide, quam cor tuum sit generosum, & quod, sicut apes in nulla re putrida pedem figunt, at solos flores consecretantur; ita cor tuum nullam nisi in solo DEO habere requiem possit, & nulla creatura ipsum satiare queat.

Re-



Repete tecum ipsa audacter cogitatione charissimas, & dulcissimas recreationes, & oblectationes, quibus aliquando perfusa es, & in quibus cor tuum requiem invenit: & sincere vereque judica, an non hæ molestissimam quandam inquietudinem, sollicitas cogitationes, & importunas anxietates, & curas in se continuerint; quibus cor tuum undique angustiatur, & lancinatum vere miserabile erat.

Cor nostrum, eheu! dum creaturas impense, & avide consecratur, efficitur & anxie in illas ruit, dum suo in illis desiderio, & appetitui plane satisfieri posse putat: sed, mox ut eas jam habet, & fruitur, videt omnia velut frustra esse, ac nulla omnino re sese posse satiari, DEO minime permittente, ut ullum cor nostrum locum inveniat, in quo secure requiescat; uti columbæ ex arca Noë egressæ olim contigit, quoad DEUM suum, a quo egressum est, denuo revertatur. Ah! quam naturalis, & nativa cordis nostri pulchritudo est; cur ergo ipsum invitum, & reluctans creaturis famulari compellimus?

Sic ergo animam tuam compellare poteris: potes, o anima mea! DEUM intelligere, & velle, cur ergo rei alicui, quæ eo minor sit, consecrando, & appetendo incumbes? æternis, & æternitati intendere: cur ergo momenta, & momentanea avide adeo captabis?

unde hoc inter alia filius prodigus deplorabat, quod, cum in domo, & mensa paterna affluere deliciis, & regifice refici posset, siliquas comederet cum suis. Tu es, anima mea DEI capax, eumque comprehendere, & habere potes; vae ergo tibi, si qua re, quae eo minor sit, contenta sis. Animam tuam in hac consideratione quam maxime exsuscita, & extimula, ostende illi, quod aeterna, & aeternitate digna sit, ac proinde hujus occasione ei animum addito.

## CAPUT XI.

*Consideratio secunda, de virtutum praestantia.*

**C**onsidera, virtutes, & devotionem solas, plenum, & perfectum, hoc quidem in mundo, animae tuae afferre gaudium posse, & ipsam satiare. Vide, quam eae sint pulchrae: virtutes ergo cum vitiis, quae ipsis contrariae sunt, velut in bilance appende, & compara: quanta est in patientia suavitas, intuitu & respectu vindictae, quanta in benignitate, si cum ira, & indignatione comparetur; quanta in humilitate, si arrogantiam, & ambitionem intuearis; quanta in liberalitate, avaritiam si inspicias; quanta in charitate, injuriarum collata; quanta in sobrietate denique, si luxum, & crapulam ei opponas.

Hoc

Hoc quippe virtutes admirabile, & consideratione dignum habent, quod incredibili quadam suavitate animam, jam exercitæ, delectent, & repleant, cum vitia contra eam tristem, & male habitam relinquunt, cur ergo hanc nobis dulcedinem comparare non studebimus.

Quisquis e vitiis nonnisi parum habet, quietus ac contentus non est; qui vero multum, etiam inquietus: at e virtutibus, qui vel modicum habet, quietem etiam ac recreationem habet, & quo longius progreditur, semper sentit majorem. Quam, o vita devota, pulchra, jucunda, grata, & suavis es! tu tribulationes dulcoras, & desolationes etiam suaves, sapidas, & optabiles reddis: sine te bonum fit malum, & voluptates plenæ inquietudine, molestia, ac defectibus. Si quis te nosset, dicere cum Samaritano posset: *Domine, da mihi hanc aquam*; quam aspirationem Sancta Mater Theresia de JESU, & S. Catharina Genuensis, diverso licet intuitu, ac occasione, sæpius in ore habebant.

## CAPUT XII.

*Consideratio tertia, ab exemplo Sanctorum.*

CONSIDERA Sanctorum omni in genere hominum, & vitæ exemplum, quid hi non fecere, quo DEUM diligerent; ejusque clientes



tes, & amici fierent? considera illos Martyres suis in propositis ac resolutionibus insuperabiles, quos hi non, ad eadem constanter exequenda, cruciatus ac tormenta subiere? atque inprimis illustres, & inclytas illas virgunculas super lilia puritate candidas, super rosas charitate rubicundas; quarum hæ duodecimo, tertiodecimo, & quintodecimo, illæ vigesimo quinto ætatis anno sexcenta suppliciorum genera perpeti maluerunt, quam a suo non fidei modo profitendæ, sed devotionis etiam suæ excidendæ proposito, vel latum unguem deflectere: dum hæ quidem, ne virginitatis florem amitterent, illæ, quod ab afflictis Christianis obsequium præstando, suppliciiis affectos consolando, & vita defunctos sepulturæ tradendo, cessare nollent, mortem non dubitarunt oppetere. Quantam, DEUS bone! sexus hic fragilis similibus in rebus, & occasionibus constantiam, & generositatem prætulit?

Intuere tot Confessorum millia, quanta illi constantia, & robore mundum hunc contempserunt! quam suis in resolutionibus, & propositis invincibiles extitere! nihil quidem eos ab iisdem divertere, aut avocare potuit, sine ulla restrictione, & limitatione eadem sunt amplexi, ac sine ulla exceptione ad finem usque in iisdem perseverarunt. Quid non Sanctus Augustinus de matre sua Monica scribit?

bit? qua illa constantia & intensione, suum DEO in conjugali æque ac viduali statu serviendi propositum est profecuta? quid non S. Hieronymus de charissima filia sua Paula, idque tot inter casus, tot adversitates, & rerum humanarum vicissitudines? quid autem ipsi, tam præclara ante oculos habentes exempla, non præstemus? Erant id, quod sumus, ejusdem DEI causa id faciebant, & easdem propter virtutes: quin ergo idem in nostro statu, & juxta vocationem nostram, quo propositum, & sanctam protestationem nostram constanter urgeamus, præstamus?

### CAPUT XIII.

*Consideratio quarta, de amore, quo Redemptor noster JESUS nos est profecutus.*

**C**ONSIDERA amorem, quo Dominus noster JESUS Christus, tam multa & varia in hoc mundo pertulit, & monte Calvariæ. Amor hic te unam respiciebat, & omnibus illis cruciatibus, & laboribus bona a DEO Patre cordi tuo obtinebat proposita, & protestationes, simul quoque quidquid tibi est ad proposita illa conservanda, fovenda, corroboranda, & perficienda necessarium. Quam, o resolutio, & propositum! res es pretiosa, cum tali sis matre, passione, inquam, Domini mei JESU Christi progenita! quam te ani-  
ma

ma mea charam habere debet, & complecti, cum JESU meo tam chara exstiteris. Tu, o Salvator animæ meæ! mortuus es, quo mihi resolutiones & proposita mea comparares, gratiam ergo mihi præsta, ante ut moriar, quam eisdem excidam, aut amittam.

Vides, Philothea mea! certum est, Domini nostri JESU Christi cor, jam inde ab arbore Crucis tuum intuitum esse, & dilexisse: & per hanc dilectionem omnia illi bona obtinuisse, quæ unquam es habitura, atque inter cætera nostra proposita & resolutiones. Unde, quotquot sumus, dicere cum Jeremia Propheta possumus: *Antequam essem, Domine, videbas me, & nomine meo compellabas me*; quod Divina illius bonitas, in amore & misericordia sua, vere omnia tam generalia, quam particularia salutis nostræ media, & consequenter proposita nostra disponderet, & præpararet. Vere quidem, nam quemadmodum mulier prægnans, cunas, fascias, lineam puerperii supellectilem, quin & nutricem proli, quam sperat, præparat, esto ea nondum in lucem edita sit: ad eundem modum Redemptor noster JESUS, cum bonitas illius te velut in utero haberet, & te imprægnata esset, & ipse salutem te parere, ac filiam suam facere veller, jam inde in arbore Crucis præparabat, quidquid tibi & cunis tuis spiritualibus necessarium erat, linteamina & fascias tuas, nutricem



cem quoque tuam, & quidquid ad beatitudinem & felicitatem tuam ullo modo expediebat; omnia, inquam, media, invitationes, & gratias, quibus animam tuam allicit, provocat, conducit, & ad perfectionem suam attrahere conatur.

Quam hoc, DEUS bone, profunde memoriae nostrae deberemus insculpere? Fierine potest, me a Domino meo JESU derelictam fuisse, & quidem tam suaviter, ut mei particulatim, & in omnibus illis modis & casibus, quibus me ad se invitavit, & allexit, recordari non sit dignatus? quam ergo, & quomodo omnia illa diligere, complecti, & in nostram nos utilitatem convertere oportet? Est hoc certe cogitatu quam suavissimum, benignissimum, & amantissimum DEI mei cor Philotheae recordabatur, eam diligebat, milleque ei salutis media & vias procurabat, tanquam si nulla in mundo anima exstiteret, cujus is memoriam haberet, & curam, perinde ac Sol unam terrae partem illustrando non minus illam illustrat, quam si nullam aliam, & non nisi illam solam illustraret: eodem modo Redemptor noster JESUS ita omnium filiorum suorum curam habebat, deque iis sollicitus erat, ut de uno quoque nostrum ita cogitaret, tanquam si de reliquis omnibus non cogitasset, sed eos neglexisset. *Dilexit me, inquit Apostolus, & tradidit semetipsum pro me* qua-

quasi dicat: pro me solo ita impense, tanquam si pro reliquis omnibus nihil penitus præstitisset. Hoc animæ tuæ insculptum esse debet, Philothea, ut, quod fecisti propositum, utpote, quod Salvatoris nostri cordi adeo carum existit, & pretiosum, diligas; carum habeas, & foveas.

## CAPUT XIV.

*Consideratio quinta, de æterno DEI erga nos amore.*

CONSIDERA æternum, quo te DEUS Opt. Max. profecutus est, amorem, nam etiam antequam Dominus noster JESUS Christus, in quantum homo, in Cruce pateretur, Divina illius Majestas in suprema sua bonitate te sibi proponebat, & summo te amore prosequeretur. At quando primum te amare incepit? Tum, cum cœpit esse DEUS; quando autem incepit esse DEUS? nunquam: semper quippe fuit, sine principio, & sine fine, proinde etiam semper, ab omni æternitate te dilexit. Hinc jam inde ab eo tempore, quas tibi præstitit, gratias & favores, præparabat. Quamobrem per Prophetam ait: *Charitate perpetua dilexi te, & ideo attraxi te miserans; quod tam tibi in particulari, quam aliis omnibus, in genere ait. Ergo inter alia, cogitavit, & præparavit, ut quæ ad illi serviendum concepisti proposita, te concipere faceret.*

Qua-

Qualia ergo, DEUS bone, sunt hæc proposita, ut quæ DEUS jam inde a sua æternitate decrevit; præmeditatus est, & sibi objecit, quam ergo nobis illa debent esse chara, & pretiosa? quid non subire nos oporteat potius, quam vel latum ab illis unguem recedere? imo ne quidem, esto etiam totum terrarum orbem intercideret oporteret, nam ne totus quidem orbis, quantus quantus est, cum animæ unius valore, & pretio potest æquiparari, anima porro sine nostris resolutionibus, & propositis nihil omnino est, & nullius momenti.

## CAPUT XV.

*Generales super præcedentibus considerationibus affectus, ac simul exercitii hujus conclusio.*

**V**Os, o illustria, & chara proposita! estis præstans illa vitæ arbor, quam sua DEUS meus manu in cordis medio plantavit, quamque suo Redemptor meus sanguine, quo fructum aliquem producat, irrigare cupit. Sexcentas potius perferam mortes, quam ut ab ullo vos turbine ventove eradicari sinam. Certe neque vanitas, neque delicia, non divitiæ, non tribulationes a meo me proposito facient recedere.

Sed tu, o Domine, arborem hanc pulchram plantasti, & in paterno sinu tuo pro horto meo



meo reservasti. Ah! quam multæ sunt animæ, quibus hanc tu benevolentiam, & beneficium non exhibuisti? quomodo me ergo unquam satis coram tua misericordia humiliem?

Si vos, o illustria, & sancta proposita! ego conservem, vos me conservabitis; si in anima mea vivatis, anima vivet in vobis. *Æternum ergo vivite, o sancta proposita, quæ in DEI mei misericordia fuistis æterna: æternum in me manete, & vivite, ut nunquam ego vos deseram.*

Post hos affectus excitatos, disquire, & dispone in particulari apud te ipsam media, quæ ad cara hæc proposita conservanda requiruntur, & coram DEO protestare, & propone, fideliter te iis uti velle, uti sunt frequens orationis, Sacramentorum, bonorum operum usurpatio, defectuum in secundo puncto perspectorum emendatio, pravaram occasionum evitatio, eorum, quæ tibi quoad hoc suggerentur bona consilia, amplexatio.

Hoc peracto, tanquam si novum spiritum jam attraxisses, novumque robur collegisses, millies protestare, te in propositis, & resolutionibus tuis remanere velle. Et tanquam si cor, animam, & voluntatem tuam in manibus haberes, DEO illam dedica, consecra, sacrificata, & immola, nunquam exinde amplius eam te repetituram protestans, sed in divinæ ipsius Majestatis manu eam relicturam, quo

quo illius præcepta, & voluntatem in omnibus, & per omnia exequaris. DEUM roga, ut te plane innovet, & totam renovet, tuæque novæ protestationi benedictionem suam addat, ipsamque corroboret. Invoca quoque patrocinium, & opem B. Mariæ Virginis, Angeli Custodis, S. Ludovici, & aliorum Sanctorum.

Corde sic excitato, & inflammato, ad Patris tui spiritualis pedes te abjice, & primaria, gravissimaque, quæ te jam inde ab ultima confessione tua commisisse deprehendes, peccata confitere, & eodem modo eorundem absolutionem admitte, priorem protestationem quoque tuam coram eo pronuntia, & manu tua signa. Denique cor tuum jam renovatum principio & Salvatori suo, Sanctissimo, inquam, Eucharistiæ Sacramento, fac unias.

## CAPUT XVI.

*Quales post hoc exercitium peractum in anima sensus sint, & motus conservandi.*

**E**O, quo hanc spiritus renovationem fecisti, die, nec non aliis sequentibus, sæpius tum animo, tum etiam ore ardentia illa S. Pauli, S. Augustini, S. Catharinæ Genuensis, & aliorum verba repetas oportet: jam non sum amplius mea, sive vivam, sive moriar.

riar. Salvatoris mei sum. Non habeo amplius Ego vel Meum. Meum Ego est JESUS: Meum Meum est, quod ipsius sim. Tu, o munde! semper es tu, & ego semper fui ego; at posthac non amplius ero ego, non, non amplius erimus nostri, habebimus quippe cor aliud & immutatum, & mundus, qui usque adeo nos decepit, jam decipietur, & fallatur: in nobis etenim mutationem nostram non nisi paulatim percipiens, putabit nos semper esse Esau, & nos comperiemus nos esse Jacobos.

Necesse autem est, ut omnia exercitia in corde requiescant, & maneat, ut, jam a consideratione, & meditatione surgentes, paulatim sensimque in negotia & conversationes cum hominibus nos ingeramus, ne forte collectus propositorum nostrorum liquor subito effundatur; etenim per omnes animæ partes bene is penetret, & se diffundat oportet, at tamen sine ulla id violentia, aut spiritus, aut corporis fiat necesse est.

## CAPUT XVII.

*Respondetur ad duas, quæ contra hanc Introductionem objici queant, objectiones.*

**D**icet tibi mundus, charissima Philothea, hæc exercitia & consilia tam multa numero esse, ut, quisquis illa observare vult,  
vix



vix aliis rebus commode vacare, & intendere possit. Ah! mea Philothea, esto nihil aliud faceremus, quam hæc, satis haud dubie faceremus, eo quod faceremus, id, quod hoc in mundo nos facere oportet, sed, antequam & imposturam illius non vides? Si quidem omnia hæc exercitia quotidie nos obire oporteret, totos, fateor, nos occuparent, sed non nisi tempore & loco suo illa, prout unumquodque necesse est, & occurret, sunt usurpanda. Quam multæ sunt in digestis & codice leges civiles, quæ omnes sunt exacte observandæ: sed non nisi cum earum usus & necessitas eas observari requirit, non autem quasi omnes quotidie, & singulæ sint ad praxim redigendæ. Cæterum David Rex gravissimis negotiis impeditissimus, etiam plura obibat exercitia quam hic tibi præscripsi. S. Ludovicus Rex, bello juxta ac pace admirabilis, quique incomparabili quadam cura, & justitiam administrabat, & negotia regia tractabat, quotidie duas audiebat Missas, Vespertinas horas, & Completorium cum suo recitabat sacellano, meditationem quotidianam instituebat, valetudinaria obibat, singulis feriis sextis confessionem instituebat, & corpus flagellabat, Verbi Divini prædicationi sæpe intererat, frequenter de rebus spiritualibus cum aliis conferebat; interim tamen ne vel minimam boni exterioris & publici cu-

randi, cui impense vacabat, occasionem negligebat, ejusque aula longe erat speciosior & florentior, quam prædecessorum ejus omnium fuerat hæcenus. Audacter igitur exercitia hæc, prout illa tibi præscripsi, suscipito, & satis tibi DEUS otii & roboris, ad reliqua exercitia tua obeunda, suppeditabit; imo etiamsi in tui gratiam solis motum deberet sistere, uti olim factum tempore Josue. Semper autem satis superque facimus, cum DEUS nobiscum operatur, & collaborat.

Dicet præterea mundus, ubique pene me præsupponere, Philotheam meam orationis mentalis donum habere; & tamen in omnibus passim dari non solere: ac proinde hanc introductionem non fore omnium, nec omnibus profuturam. Hoc fateor, præsupposui, uti etiam fatendum est, omnes orationis mentalis donum non habere, at simul hoc verum est, fere omnes id habere posse, etiam stupidissimos quosque, dummodo bonos, & peritos conductores habeant, & si, prout res ipsa meretur, ad eam comparandam velint coniti, & elaborare: si quem vero invenire fit, qui nullo in gradu donum hoc habeat (quod non nisi quam rarissime contingere posse existimo) prudens & peritus Pater spiritualis defectum hunc facili negotio in illo corriget, & supplebit per attentionem, quam illum ex earum considerationum, quas in me-

di-

ditionibus præscriptis, lectione auditioneque habere faciet.

## CAPUT XVIII.

*Tria ultima, & primaria Introductionis hujus monita, ac præcepta.*

**P**rotestationem, quæ in prima Libri Parte post meditationes collocata est, primo quoque mensis die reitera & repete, & ad singula momenta illam te observare velle, protestare, dicens cum Psalmographo: *In æternum non obliviscar justificationes tuas, Domine quia in ipsis vivificasti me.* Unde etiam, ubi aliquo te modo deficere, & collabescere senties, protestationem hanc tuam in manus sumito, & in spiritu humilitatis prostrata, ex toto corde tuo eam pronuntia, & haud dubie singulare quoddam animi solatium, ac alleviamentum persenties.

Palam & aperte profiteri, te devotam esse velle; non dico, te devotam esse, sed, esse velle; neque probro, & dedecori tibi sit, communia & necessaria opera obire, quæ ad DEI nos amorem conducant. Audacter quoque profiteri, & dicito, te conari meditari, & malle mori, quam mortale peccatum committere; velle te Sacramenta frequentare, & directoris tui (esto sæpe eum necesse non sit nominare, idque ob plurimas rationes) con-



filium sequi : hæc libertas profitendi , quod DEO servire velimus , quodque amoris ejus , e speciali quodam affectu nos dedicaverimus , divinæ ejus Majestati longe gratissima est , quæ nos aut sui , aut crucis suæ nullatenus pudere vult . Deinde multis ea invitationibus , & illecebris , quas in contrarium mundus objicere vellet , viam præsecat , nosque ad eam opere exequendam etiam , ne quod fama detrimentum capiat , obligat . Philosophi ideo se Philosophos profitebantur , ut Philosophorum ritu , & modo vivere permitterentur : nos vero ideo nos devotionis amantes , & *philotheos* profiteri debemus , ut devote vivere sinamur . Si quis tibi dicat : etiam sine horum exercitiorum , & præceptorum praxi devote quem posse vivere , concede fieri id posse , sed dic , eam tuam infirmitatem esse , ut pluribus juvari subsidiis , & adminiculis debeat , quam alii opus habeant .

Denique , adjuro te , charissima *Philothea* , per quidquid in cælo simul , & terra sacrum est , per Baptismum , quem olim recepisti , per ubera , quæ Redemptor noster JESUS suxit , per flagrans charitate cor ejus , quo te dilexit , & per viscera misericordiæ illius , in quam speras , ut in felici , & beato hoc vitæ devotæ , quam inivisti , proposito constanter pergas , & perseveres . Dies nostri prætereunt , mors ante fores est : *Tuba* , inquit S. Gregorius

rius Nazianzenus, canit receptui, ut quisque se ad abeundum præparet: quia iudicium instat. S. Symphoriani mater, videns filium ad mortem & martyrium abduci, illi jugiter inelamabat: Memento fili mi, vitæ cœlestis, & æternæ: Cœlum intuere, & illic regnantem ante oculos habe, finis proximus brevem vitæ hujus cursum brevi in momento terminabit. Idem tibi inelamabo, Philothea mea, & dicam: Cœlum respice! neve ipsum cum terra commuta: infernum respice; nec propter momentanea in illum te præcipitem dato: JESUM respice, nec propter mundum eum abnega; & cum vitæ devotæ labor tibi videbitur, durus, & gravis, dicito cum Sancto Francisco: *Labor omnis voluptati mihi est, cum quæ exspecto gaudia considero; &: tanta est gloria quam exspecto, ut omnis me pœna deleatet.*

Vivat JESUS! cui cum Patre, & Spiritu Sancto sit honor, & gloria, nunc, & semper, & in sæcula, sæculorum,  
Amen.

F I N I S.

